

BQV
200
S9G3

UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S LIBRARY



3 1761 01969524 6



Praxis
Synodi Diocesanae
Celebrandae.

SBS



BASIL'S SE
LIBRAR
TRANSFERR

UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

CONFIDENTIAL



PRAXIS


Synodi Diocesane Celebrandæ.



PRAXIS

Synodi Diocesis Celebrandæ.

EX OPERE D. B. GAVANTI REDACTA.



EX LIBRIS REV. BARDOU.

EDITIO ALTERA.

Permissu Superiorum.

Londini:

EX TYPOGRAPHIA

THOMÆ RICHARDSON ET FILII,

VIA VULGO DICTA 26, PATERNOSTER ROW; DUBLINII: VIA

VULGO DICTA 9, CAPEL STREET; ET DERBIÆ.

MDCCCLXXV.

IMPRIMATUR.

DATUM NOTTINGHAMIÆ DIE 20 JANUARI 1875.

✠ EDWARDUS EPISCOPUS NOTTINGHAMIENSIS.

DEC 17 1955

PRAXIS

SYNODI DIÆCESANÆ.

Diœcesana Synodus est Congregatio legitima, quam facit Episcopus cum Clericis sibi subditis in sua Diœcesi, de iisque in ea tractat, quæ curiæ suæ pastorali incumbunt.

CAPUT I.

De indictione Synodi Diœcesanæ.

1. SOLET indici tribus modis; Primo solemniter in die Epiphaniæ, ex *Cæremonial. Episcop.* l. 1, cap. 31, nimirum intra Missarum solemnia, dum festivitates anni solemniores denunciantur populo, post Evangelium ab Archidiacono, seu Canonico, vel Beneficiato, aut alio juxta consuetudinem loci, pluviali induto in pulpito, vel ubi solet cantari Evangelium, juxta formulam, et cantum, quæ habentur in Pontificali, p. 3, tit. *De publicatione Festorum mobilium*. Quidam Episcopi plenioram formulam dederunt cantandam, sed a Pontificali nullo modo est recedendum.

2. Deinde in Kalendario non pauci edici jubent diem ipsam Diœcesanæ Synodi, ea die quæ occurrit in Kalendario, his et similibus verbis, *Fer. II. Do-*

min. III. post Pascha Officium fit, &c. Hac die conveniant omnes de Clero ad Synodum, &c.

3. Per edictum, duos ante menses, vel unum saltem, ex *Cæremonial. Episcop. loco citato*, proposita schedula, manu Notarii, seu Cancellarii subscripta, Ecclesiæ Cathedralis affixa valvis ad præscriptam formam in dicto Cæremoniali, quam dabimus infra in Appendice una cum aliis Synodalibus formulis. Vid. Append. (A)

4. Quod si ob aliquod impedimentum sit proroganda Synodus, opportuno tempore id fiat, et moneatur Clerus ad formulam infra præscribendam. Vid. Append. (B)

CAPUT II.

De Congregationibus ante Synodum.

1. DIVERSIS diebus, et ob diversas causas habendæ

sunt variæ Congregationes coram Episcopo, qui in iis cum Rochetto et Mozetta in suis ædibus consultores excipiet; omnes autem statuta hora vocati conveniunt.

2. Episcopus ergo deputabit idoneum virum, qui referat in librum ea omnia, quæ in hisce conventibus pertractantur: eum ego vellem qui futurus erit Secretarius Synodi.

3. Eliget sex, vel octo partim Theologos, partim Canonistas, sæculares, et regulares, quorum consilio utatur in negotiis Synodalibus.

4. Die commodiori convocet omnes Curatos Civitatis, a quibus coram se, et prædictis conciliariis exquirat statum totius civitatis: et, quæ decernenda proponuntur in Synodo, scripto consignentur a proponentibus.

5. Alia die accersantur a Diœcesi Vicarii foranei, seu Archipresbyteri, seu primores Parochi, et eadem exquirat Episcopus, et eodem modo ut supra, de statu Diœcesis, post habitos in Diœcesi similes conventus.

6. Laudabilis esset, si convocarentur alia die una simul omnes Regularium superiores coram Episcopo, ut ii suppeditarent in genere peccata populorum, et opportuna remedia; quod prodesset quam maxime pro reservatione casuum utiliore.

7. Ex his, et ex Visitatione proxima Civitatis et Diœcesis, operâ prædictorum consulto-

rum haurienda est materia Decretorum Synodi, quæ debet esse de iis, in quibus ut plurimum peccatur.

8. Convocandum etiam erit coram Episcopo Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, ut de Canonicorum consilio decreta stabiliantur, non autem de consensu.

CAPUT III.

De Ordine habendi prædictas Congregationes.

1. STATUTA hora, et per nuncios, seu schedulas vocatis vocandis in aula, seu cubiculo capaci Palatii Episcopalis, ante omnia Episcopus stans, aliis quoque stantibus, recitabit de libro Pontificali, seu de Tabella parata Orationem, *Adsumus, &c.*, seu preces initio Congregationis dici solitas: *Veni S. Spiritus, &c.*

2. Sedentibus omnibus, legitur a Secretario Episcopi Catalogus eorum, qui debent interesse, ut notentur in libro hoc modo: Die.....mense.....coram Reverendiss. D. N. Episcopo, et M. R. R. N. N. N. N. N. N.

3. Sedebunt autem ordine congruo, iudicio Episcopi, pro jure dignitatum, titularum, et cæteris paribus, jure promotionis antiquioris. Regulares post presbyteros sæculares; inter sæculares autem e prædictis consultoribus primus locus Vi-

cario Generali dandus erit; secundus illis, qui in cathedrali dignitatem habent; tertius Præposito Collegiæ insignis, qui præcedere debet Canonicum Cathedralis Ecclesiæ extra collegium suum procedentem, quod bene probat Cassaneus in *Catal. glor. Mundi* 4. p. consid. 38. nisi aliud obstet: quartus locus Canonico Collegiæ insignis: quintus Parochis; sextus aliis, nisi forte quis sit Protonotarius, seu Doctor, cui in hujusmodi conventibus cedunt aliqui ex prædictis; qua in re valet maxime consuetudo locorum, ait Cassaneus in 4. parte citata.

4. Exposita causa convocationis ab Episcopo, interrogantur singuli de re proposita ordine majoritatis, incipiendo a majoribus; qui facta debita Episcopo reverentia, respondet breviter, et prout res postulat, ad interrogata, ne tempus conteratur.

5. Notabit Secretarius, quæ notatu sunt digna, Episcopi arbitrio.

6. Sed in Congregationibus Parochorum, Vicariorum Foraneorum, et Regularium, consultores prædicti Synodales sedebunt hinc inde a latere Episcopi. Illi vero interrogati surgunt, et facta reverentia Episcopo debita, et consueta (cum genuflexione, exceptis Canonicis) stantes dicunt sententiam suam: quos tamen fere statim jubebit Episcopus sedere, et caput tegere.

7. Actis de more gratiis ab

Episcopo, per consuetas preces in fine congregationis dici solitas, dimittitur Congregatio.

CAPUT IV.

De præparandis pro actione Synodali.

1. **A**GENDUM est deinde cum Consultoribus, vocatis etiam Magistris Cæremoniæ, et Sacristis Cathedralis Ecclesiæ, de necessariis ad actionem Synodalem. Hæc autem sunt.

Hospitia pro Clero, cum electione Præfecti, et coadjutorum.

Apparatus Ecclesiæ, et loci sessionalis.

Distributio sessionum.

Catalogus Cleri vocandi rite ordinatus.

Habitus Cleri qualis, et ordo sedendi.

Processiones, prima, et ultima.

Horæ Canonice, et Missæ Synodales.

Musicus Cantus.

Quæ paulo ante diem Synodi ad excitandos populos agenda sunt.

Officiales Synodi, hoc est, actionis ipsius Synodalis.

Delectus Examinatorum, Judicum, Testium, et Officiorum Cleri, in Synodo approbandorum.

CAPUT V.

De Hospitiis, et eorum Præfectis.

1. **H**OSPITIA deligenda sunt in civitate, et caupones ii seligendi sunt qui pietate aliis præstant; quibus injungendum erit, ut profanas imagines tollant de cubiculis, et frugalem mensam suppeditent iis, qui ad alios non divertunt cives.

2. Præfectus autem deputandus erit cum aliquibus comministris, ut in ea re invigilent, ædes invisant, et ad quos recurrere queant ii, qui de Clero eorum opera egent ad hospitium sibi parandum.

CAPUT VI.

De Apparatu Cathedralis Ecclesiæ.

1. **O**RNABITUR Ecclesia festivo et solemnî ritu, ut in capitulo de ornatu Ecclesiæ plene dictum est, *Cær. Episcop. lib. 1. c. 31.* usque ad valvas inclusive.

2. Sedilia in ea disponentur, inquit *idem Cær.* ut Dignitates, et Canonici Ecclesiæ Cathedralis hinc inde a lateribus Episcopi, vel ante Episcopum semicirculum faciant; illud tamen prius placet magis, et est commodius ad functiones Synodales.

3. In media itaque navi Ecclesiæ paretur locus sessionalis

hoc modo: hinc inde affigantur aulæis schedulæ patentes cum litteris grandioribus, continentes nomina locorum Diœcesis, juxta scamna pro Diœcesano Clero præparata, ordine servato secundum gradus locorum, ut quisque sciat, ubi sedere suo loco debeat.

4. Circummuniat sessionalis locus, ita ut laici illuc intrare nullo modo possint.

5. Sedes Episcopi sit alta tribus gradibus tapete contectis, et hinc inde sedilia collocentur pro Diaconis assistentibus. Paretur etiam mensa parva cum suo panno violaceo.

6. Hinc inde in quadrum sedilia longa pro Canonicis præparentur, vestita panno viridi, alta unico gradu a pavimento; quod si adfuturi sint alii majores Canonici, vestiri poterit prima pars scamni, quod a dextris Episcopi et eidem vicinius est panno nobiliori, puta violaceo, aut alio ad differentiam in eodem scamno a Canonicis faciendam. Abbates, Commendatarii, Protonotarii Apostolici, si utantur rochetto et mantelletto, sedebunt post Canonicos in eodem scamno, a sinistris Episcopi sedentis;

7. In fine sedilium Canonorum, facie versa ad Episc. sedebit juxta dexteram Episcopi, Vicarius Generalis in sede coriacea domestica cum parva mensa strata panno, ut præsto sit accedenti ad eum clero pro variis causis; in eadem linea

sedebunt juxta sinistram Episcopi in scamno nudo ad mensam aliam similiter vestitam Promotor, et Secretarius Synodi cum Notario Episcopali; mensæ tegantur convenienti panno ad minus viridi.

8. Si Archiepiscopus præest Synodo, collocetur in medio centro areæ, quæ est inter Canonicorum sedilia, ante sedem Episcopalem sessionalem, scabellum commune pro eo, qui gestare debet Crucem Archiepiscopalem in Synodo, cujus imago Crucifixi respiciet semper Archiepiscopum.

9. Pulpitum amovibile pro lectione Decretorum collocari poterit prope mensam, ad quam sedet Secretarius Synodi, ut inde suppeditentur eidem quæ sunt legenda.

10. Hinc inde a tergo Canonicorum sedilia erunt pro Clero Urbano: alia pro Foraneo occupabunt navim mediam, ita tamen, ut in medio juxta Episcopum sit transitus omnino liber, et amplior ad eundem redeundumve, prout est opus. Nobilior Foraneus Clerus sedebit in anterioribus scamnis, reliquus in posterioribus.

11. Ad apparatus spectat ornatus Altaris majoris; colore quidem rubeo vestietur, nisi aliud requirat solemnitas Missa, de qua infra.

12. Excepta Missa, ut dictum est, paramenta omnia in actione Synodali coloris erunt rubri.

CAPUT VII.

De Distributione sessionum.

1. **N**UMERUS sessionum ex *Pontificali* solet esse trium: ad arbitrium Episcopi potest esse pauciorum *ex eodem Pontificali*; pendet autem hic numerus a rebus agendis in Synodo ipsa: *ex Actis Ec. Mediol.* potest esse plurium, quam trium.

2. Prima Synodus ab Episcopo celebranda esset summa cum majestate, et utilitate Cleri, et populi, ut effulgeat Ecclesiastica Hierarchia, et ideo nihil esset omittendum, quod ad perfectissimam Synodum, quam hic describimus, attinere possit.

3. Ii etiam, qui non nisi tertio quoque anno Synodum convocant, eadem observare debent.

4. Qui vero quotannis celebrant, una sessione possunt absolvere quæ sunt necessaria; omissis iis quæ sunt ad splendorem, cum utilitate tamen conjunctum.

5. Porro necessaria sunt ea, quæ ad electionem spectant Examinatorum, Judicumque, et ad professionem fidei emittendam.

6. Non tamen placere potest ea Synodus, quæ per duas horas mane celebratur, ubi multus est Clerus: saltem per totum diem detineatur ille cum majori fructu.

7. Cardinalis Palæotus Archiepiscopatu suo Bononiensi

distribuit actiones Synodales pro una sessione, pro duabus, pro tribus, cujus distributionis formulam dabimus infra.

CAPUT VIII.

De habitu Cleri.

1. **H**ABITUS Episcopi in Missa Synodali erit Pontificalis, et coloris rubei: si celebrat solemniter, assumit omnia paramenta Pontificalia, usque ad pallium exclusive, si est Archiepiscopus, *ex Cœrem. Episc. lib. 1, cap. 16*; si assistit, convenit, ut amictu, alba, cingulo, stola, pluviali, et mitra pretiosa indutus assistat Missæ, cum solitis Cœremoniis; eodem habitu semper aderit in sessionibus Synodalibus. Baculum vero pastorem vel gestet, vel gestari faciat.

2. Dignitates et Canonici parati adsint, *ex Cœrem. Episc. lib. 1, cap. 31*, hoc est, pluvialibus Dignitates; planetis Canonici.

3. Rectores Parochialium caputiam gestant supra cottam multis in locis; Neapoli stolam, ut dignoscantur ab aliis: servanda est locorum consuetudo.

4. Statuant Episcopi, quod expedire judicaverint ad Actionis Synodalis splendorem, et majestatem Ecclesiasticæ Hierarchiæ repræsentandam.

5. Ordo vero sedendi in Synodo est ille, quem supra significavimus. Urbanus enim

Clerus hinc inde e tergo Canonicorum Cathedralis sedere debet. Beneficiati, seu mansionarii, et Choro Cathedralis addicti, immediate in scamnis post Canonicos ejusdem; non quia digniores sint Canonicis Collegiatarum, sed quia in servitio conjunctiores suis Canonicis esse debent.

6. Diœcesanus autem Clerus sedebit in media navi ante faciem Episcopi, hinc inde, ita ut in scamnis anterioribus, et juxta dextram Episcopi, digniores sedeant.

7. Si Vicarius est Canonicus, ad Missam et processionem induitur ut Canonicus. Ad sessionem Synodalem, ut Vicarius.

CAPUT IX.

De Processionibus Synodalibus.

1. **D**UPLEX Processio fieri solet, altera pro initio Synodi, quam significat *Cœrem. Episc. loco citato*, altera pro fine ejusdem, prout in *Actis Eccl. Mediol.*

2. Pro prima varius est ordo, nam aliqui ante Missam, alii post Missam. Conc. Prov. Mediol. II. eam præmittit Missæ: statuat Episcopus quidquid voluerit.

3. Præfertur una tantum Crux Cathedralis Ecclesiæ quam sequitur totus Clerus,

ordine retrogrado, quo in Synodo sedent.

4. Dum itur, quisque Clerus partialis cantare debet Hymnos, et Psalmos; priore de illo Clero primum inchoante Hymnum.

CAPUT X.

De Horis Canonicis, et Missis Synodalibus.

1. **H**ORÆ Canonicæ in Cathedrali dicuntur celerius, et fere sine cantu, ne impediatur actio Synodalis.

2. Vesperæ cantantur alicubi a toto Clero in cantu Gregoriano, alternatim, ab urbano ex una parte, a foraneo Clero ex altera; cui convenit ut assignentur duo mansionarii de choro, qui firmiorem habent vocem, qua moderari queant foraneorum voces sæpius discordes: qui ritus fervorem in Clero excitat, et populum ædificat; interea quoque congregatur totus Clerus pro actione Synodali immediate post Completorium continuanda. Completorium autem debet dici a solis Officialibus Chori dimissa voce: et interim poterit Episcopus pro sessione parari.

3. Missa de die omitti potest licite, et pro ea cantari Missa Synodalis de Spiritu Sancto, quam præscribit *Cærem.* vel alia Missa, ut mox dicemus.

4. Si triplex fit sessio, prima

die cantabitur Missa ab Episcopo, vel eo impedito, a prima Dignitate, de Spiritu Sancto; secunda die a Canonico, ritu pro Defunctis, pro commem. Episc., et Sacerdotum defunctorum generali; tertia die ab alio Canonico pro gratiarum actione Missa de SS. Trinitate: ut nimirum Clerus Urbanus, et multo magis foraneus videat aliquando, et discat varios ritus, et cæremónias Pontificales, Canonicales, et festivas, et pro Defunctis.

5. Pro Missa Pontificali poterit etiam Episcopus Missam planam facere, cum usu tamen mitræ, dum a sede accedit ad Altare, et dum manus lavat; item eidem deserviant duo Canonici cum Dalmaticis et Presbyter Assistens cum Pluviali: ii scilicet, qui Missæ solemniter deservire solent.

6. Missæ pro Defunctis assistat Episcopus in cappa: Missæ vero de SS. Trinitate cum pluviali et mitra: Absolutionem autem Defunctorum faciat Episcopus in sua sede Synodali cum pluviali, et mitra simplici.

7. Communio cleri facienda est in prima Missa: et intra eandem ex pia multorum Episcoporum consuetudine: qua de re moneri debet Clerus: quam etiam communionem Pontificale præscribit.

9. Missa unicum Orationem habebit, cum Gloria, Credo, et Præfatione in cantu solemniter; si Missa plana est, adhuc ea

dici possunt, quia solemnus est aliquo modo, et pro re gravi. Post Nonam prædictæ Missæ dicuntur, quia sunt Votivæ.

CAPUT XI.

De iis, quæ cantanda sunt a Musicis.

1. In Missa Pontificali Solemni musicus Cantus cum organo adhibendus erit de more, sed absque mora.

2. In Missa plana Episcopi, dum secretas recitat preces, cantari poterunt sacra cantica cum organo et vocibus.

3. In Missa pro Defunctis, Sequentia; Dies iræ tantum ad arbitrium, et sine organo.

4. In Missa de SS. Trinitate, Gloria, Credo, Sanctus, et Agnus Dei; cætera in Cantu Gregoriano. Organum pulsatur de more.

5. In ingressu Episcopi in Ecclesiam organum pulsatur mane tantum.

6. In processione poterunt cantari a Musicis Hymni, Psalmi, ut in Tabella propria; et in ultima, Hymnus, Te Deum.

7. In actione Synodali, quotidie Hymnum, Veni Creator, cantabunt Musici.

8. Iidem respondebunt benedicenti solemniter Episcopo in fine totius Synodi; nihil præterea. Litanias prima die alicubi cantant Musici.

CAPUT XII.

De Officialibus Synodi.

1. **P**OST consultationem de prædictis, facienda est electio Officialium Synodali-um.

2. Sunt autem hi; Præfectus Hospitum cum sociis.

Promotor unus, seu plures, Urbanus et Foraneus.

Secretarius, Notarius et Coadjutor, sive lector Decretorum et Catalogi Cleri.

Præfecti disciplinæ Clericalis, Synodalis et Scrutinii.

Judices querelarum et excusationum absentium.

Procurator Cleri, qui agat cum Episcopo nomine communi, si opus est.

Præfectus Musicæ.

Æconomus pro Cathedralico recipiendo.

Magistri cæremoniarum cum adjutoribus Clericis.

Ostiarii Synodi.

Ut autem eligantur aptiores, eorum munera breviter hoc loco indicabimus, et de quibus nondum locuti sumus.

CAPUT XIII.

De Promotore.

1. **S**IVE unus sit, sive duo, ad libitum Episcopi, hi parandi erunt, saltem pluvialibus, nisi alter eorum sit Canonicus Cathedralis Ecclesiæ, qui Canonicali utetur habitu, et sedebunt ad mensam, de qua diximus supra.

2. Urgebunt actionem Synodalem, pro emittenda professione fidei, pro Clero vocando et Scrutinio ejusdem, pro electione Examinatorum, et Judicum, pro evulgatione Decretorum, pro pœnis contra absentes, et pro rogatu Notarii.

3. Verba propria, seu formulas dabimus infra. Cum loquuntur cum Rever. Episcopo, eum appellare debent titulo tantum Reverendissimi, quia actio est Ecclesiastica; si Archiepiscopus, vel Cardinalis est, appellent etiam titulo Illustrissimi. Absit autem a Synodo curialis adulatio.

4. Major de duobus amborum nomine loquatur, stans a dextris alterius Promotoris.

5. Antequam loquantur, et postquam dixerint, profundam capitis inclinationem Episcopo faciant, neque discedant ad locum suum, donec Episcopus decretum fecerit verbo.

6. Recitent de folio, clauso in libello aliquo decenti et ornato; quem ipsemet qui legit, teneat; et alta voce, ut alii saltem viciniorez plene audire possint.

CAPUT XIV.

De Secretario Synodi.

1. **A**D Secretarium spectat ordinare lectionem Decretorum, et item quid prius, quidve postea sit agendum.

2. Socium sibi eligat, qui sibi ministret de mensa ad vicinum pulpitum.

3. Prævideat quæ legere debet, ne erret, vel cunctetur; et legat alta voce, ut satis audiatur ab omnibus, distincte, ut intelligatur.

4. Curet affigi valvis Ecclesiæ schedulas pro initio Synodi pridie primæ diei; tum in Ecclesia et in palatio Episcopali Tabellas de disciplina Cleri, &c. tum distribui Tabellas alias opportuno tempore pro Processione, Acclamationibus, et ejusmodi per idoneos ministros.

5. Quæ lecturus erit, ea prius accipiat cum debitis reverentiis, ante et post, ab Episcopo, cui eadem offeret, et ab eo statim recipiet post instantiam Promotorum; quibus instantibus, ipse semper aderit.

6. Idem suggeret Episcopo, quæcumque agenda erunt; qui cum eodem communicabit in cubiculo, antequam descendat in Ecclesiam.

7. Idem ipse, si non alius aptior, cantabit stans prope sedem Episcopi capita Orationis mentalis in fine Sessionum.

8. Denique ejusdem partes erunt, ut tota actio Synodalis exactissime cum Magistris Cæremoniarum peragatur, brevissimo sibi facto Indice totius actionis ab initio usque ad finem, memoriæ causa, et promptioris executionis; cujus indicis formula dabitur infra.

CAPUT XV.

De Notario Synodi.

1. CANCELLARIUS Episcopalis solet esse Notarius actionis Synodalis; qui idcirco semper aderit prope mensam Secretarii, et in fine cujuscumque Sessionis rogatus a Promotore, ut conficiat instrumentum, etc. respondebit se facturum, assumendo testes aliquos certos de Clero, quorum nomina scribet in Actis.

2. Ad eundem attinet scribere in libro nomina eorum, qui fidei professionem in Synodo emittunt; vel si multus foret numerus professorum, per schedulam affixam curet, ut moneantur professuri Fidem, quod ferant secum schedulam cum nomine, cognomine, beneficii titulo proprio, et statim ac eam emisserint, consignet quisque suam Cancellario, qui acu, et filo adhibito schedulas omnes colliget, conservabit, et in librum referet, ut sine tumultu ea professio adnotetur.

CAPUT XVI.

De Judicibus querelarum et excusationum.

1. DUO vel tres una cum Vicario Generali deputari solent ad audiendas controversias, seu querelas; qui prout de jure, brevi tamen forma judicii adhibita, illas dirimant, et has adjudicent.

2. Iidem excipient libellos supplices datos pro excusatione absentium, examinandos deinde peracta Synodo.

3. Si quæ nascuntur controversiæ de ordine sedendi, seu procedendi, iidem brevi manu componant, citra præjudicium ambarum partium.

CAPUT XVII.

De Procuratore Cleri.

1. UT quiete, sine tumultu, agantur omnia, solet alicubi deputari ab Episcopo Procurator Cleri, ad quem adeat Clerus ut ejus nomine cum Episcopo communi nomine agat in Synodo, si quæ forte decernantur difficiliora; quod si Clerus eum elegerit ad alia negotia Cleri, ille ipse poterit etiam ab Episcopo nominari; agat autem petita in Synodo venia ab Episcopo et cum debita modestia et reverentia.

2. Quæcumque petierit nomine Cleri, petat in scriptis Secretario datis.

CAPUT XVIII.

De Œconomo et Cathedratico.

1. Quidquid solvatur pro Cathedratico, quod varium est in variis locis, pro eo exigendo constituatur Œconomus, et is esse solet Magister domus Episcopi.

2. Solent Episcopi quandoque condonare Cathedaticum, quod in Decreto erit exprimendum, ne fiat in præjudicium Episcopalis Cathedralis.

3. Est enim introductum in honorem Cathedralis Pontificalis; quod alii vocant Synodaticum, quia solvitur in Synodo.

4. Regulariter duo Solidi solvuntur in pecunia usuali, ut patet ex consuetudine communiori, et ex Actis Ecclesie Mediolanensis; Neapoli ex antiqua consuetudine Carolini quinque.

CAPUT XIX.

De Magistris Cæremoniarum.

1. **D**UO saltem Magistri Cæremoniarum eligi debent; quorum alter Episcopo tantum inserviat, alter Promotoribus, et Secretario: uterque toti actioni Synodali.

2. Habeant igitur Indicem quisque suum, et omnino concordem cum Indice Secretarii, in quo tota series, et ordo breviter indicetur, qualem infra suo loco dabimus.

3. In primis autem eorum curæ sit apparatus Cathedralis Ecclesie, de quo supra, una cum Sacrista.

4. Præterea, quæ ad habitum Cleri spectant, ad processiones, ad Horas Canonicas, et Missas Synodales, ad musicos concen-

tus, ad Campanarum pulsationem, ipsi procurent.

5. Ad ea item, quæ infra præscribuntur in actione Synodali, diligenter attendant.

6. Cum Sacrista agant pro præparandis iis, quæ necessaria sunt ad Missas Synodales.

7. Pro communione Cleri parari curent stolas pro Sacerdotibus rubei coloris, et vinum sufficiens pro purificatione.

8. Cætera, quæ ad Missas spectant, fiunt de more: nisi quod in fine Missæ Episcopus non dabit benedictionem, quam dabit in fine sessionis, ex Cærem. Episc. *lib. I. cap. 31.*

9. Pro absolutione Defunctorum extendetur pannus ante sedem Episcopi, et accedente Subdiacono Missæ cum Cruce, et Acolythis cum candelabris, fiet absolutio de more; Oratio erit pro Sacerdotibus et Episcopis, ut in Missa, vel alia communis.

10. Standum erit a Clero, quando stat Episcopus, ut in Pontificali, et præterea ad Acclamations.

11. Genuflectendum erit ad primam Antiphonam ante Psalmum, ad *Litanias*, ad primos versus Hymni, *Veni Creator*, ad benedictionem Episcopalem, et ad orationem mentalem.

12. Sedendum erit ad Psalmos, sermonem, et ad lectionem Decretorum.

13. Curent etiam, ut in Altari majori ardeant sex candelæ, durante sessione Synodi.

14. Hæc præcipua sit attigisse satis; Magistri nomen excitat ad omnia bene gerenda, et exactissime.

CAPUT XX.

De Ostiariis Synodi.

1. **N**ON solum ad portas Ecclesiæ claudendas tempore sessionis synodalis necessarii sunt Ostiarii, verum etiam ad excludendos laicos, ut par est sine tumultu.

2. Excludant autem laicos paulo ante quam inchoetur sessio, et omnino nullum ibi permittant sine consensu Episcopi.

3. Ante ultimam processionem aperiantur omnes portæ, ut populus introire queat ad laudes divinas pro gratiarum actione.

CAPUT XXI.

De Examinatoribus.

1. **D**E consilio prædictorum consultorum, debet Episcopus ante Synodum deligere Examinatores Cleri, Judices causarum, Testes Synodales, et alios Officiales ejusdem Cleri, secundum variam locorum consuetudinem ut suo tempore, et loco proponantur synodo.

2. Et primo Examinatores

sunt in duplici differentia: nam ii, qui examinare debent promovendos ad beneficia curata, sunt necessario approbandi in synodo: alios vero ad examen ordinandorum, seu approbandorum ad audiendas Confessiones potest Episcopus eligere etiam extra synodum, et arbitrato suo.

3. Primi ordinis ergo approbandi in Synodo plures proponi debent, ut ex iis saltem sex a Clero approbantur, *ex Concil. Trid. regula, Sess. 24. cap. 18.* plures tamen ad honorem aliquorum approbari solent, et debent.

4. Qui assumuntur a Regularibus, proponantur Clero de nomine et cognomine noti, nedum Officii, quod habent, titulo, ad plenioram validitatem examinis in concursu Parochialium, et ne contingat ambiguitas, an valeat concursus.

5. Pro quorum Examinatorum approbatione duplex est modus; vel imprimendo eorum nomina in schedulis conjiciendis in urnam, cum votis A. R. nimirum Approbationis, et Reprobationis; vel breviter interrogando Clerum voce alta per Secretarium: Placentne vobis? Et hic modus hodie magis est communis in insignioribus civitatibus.

7. Jurare debent Examinatores approbati *ex Concil. Trid. ad S. Dei Evangelia.*

8. Absentes jurabunt in manibus Episcopi, seu Vicarii Generalis extra Synodum:

quod item præstabunt ii, qui pro tempore succedent jam approbatis a Clero, antequam accedant ad examen, in concursu parochialium Ecclesiarum.

CAPUT XXII.

De Judicibus Synodalibus.

1. **J**UDICES, quibus delegandæ erunt causæ a S. Sede Apostolica vel ejusdem Legatis, debent esse omnino in Ecclesiastica dignitate constituti, aut Personatum obtinentes, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici. Concil. Trident. sess. 25. cap. 10.

2. Quatuor saltem nominandi sunt, aut etiam plures.

3. Horum approbatio fit

eodem modo, quo Examinatorum, de quibus supra: neque tamen jurare tenentur, quemadmodum Examinatores.

CAPUT XXIII.

De Testibus Synodalibus.

1. Testes Synodales dicuntur, quia in Synodo deliguntur; alias electi extra Synodum dicerentur tantum Testes publici. Ii vero debent esse viri graves, zelo disciplinæ Clericalis illustres, forma facti Cleri, verbo et exemplo potentes.

2. Si palam nominantur et adsint in Synodo, jurent ibidem; alias extra Synodum, si absint, vel si schedulæ secreto habeantur.

ORDO

SYNODI DIŒCESANÆ CELEBRANDÆ.

RECENSENTUR in Pontificali Romano, ritus et cæremonie Synodi Diœcesanæ, tribus diebus, totidemque sessionibus perficiendæ, quin tamen ullo modo prohibeatur, breviori temporis spatio, hujusmodi Synodum celebrari: imò ordinem pro unica sessione edidit et præscripsit Em. Cardinalis Gabriel Paleottus, Archiepiscopus Bononiensis, quem non inutiliter describendum videtur.

SESSIO UNICA.

1. SUMMO mane, cappa indutus Episcopus, descendit ad Cathedralē Ecclesiam, clero precedente, Canonicis autem Episcopum sequentibus.

2. Si est Archiepiscopus, crucem ante se deferri facit, imagine Crucifixi ad ipsum conversa.

3. In porta Ecclesiæ aquam benedictam de more sumit, et aspergit se et alios.

4. Organa pulsantur et campanæ, et interea orat ante Altare Ssmi Sacramenti (quod non erit in Altari majori, durante Synodo,) et ante Altare majus.

5. Cantatur Nona (ut alias Tertia in Festis) et induitur paramentis pontificalibus.

6. Missa celebratur de Spiritu Sancto, absque ulla commemoratione, etiam duplicis festi seu Dominicæ, et sine Evangelio in fine. *Cær. Ep. lib. 1, c. 31.*

7. Fit communio Cleri, stolis rubeis assumptis, si qui forte non celebrarint.

8. Non datur benedictio in fine Missæ, (*Cærem. Ep. loc. cit.*) sed in fine sessionis: finita missa exiit Episcopus paramenta missalia usque ad Tunicellam inclusivè, et accipit Pluviale. Canonici retinent paramenta ut in Missa.

Cum aliquantulum sederint omnes, Diaconus, qui est à dextris Episcopi, stans cantat versus Clerum, *Orate*: iisdem notis, quibus alias cantatur: *Levate*.

Genuflectunt omnes versus altare, et orant mente, modico

spatio. Tum adhuc genuflexus Episcopus, sine mitra, inchoat antiphonam, *Exaudi nos Domine*: præintonante eo ad quem de more spectat: et dicitur tota, genibus flexis.

ANTIPHONA.

Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine.

PSALMUS LXVIII.

SALVUM me fac, Deus: * quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

Psalmo inchoato: sedet Episcopus accepta mitra; sedet etiam Clerus, et alternatim ab Urbano et Foraneo cantatur Psalmus.

Infixus sum in limo profundi: * et non est substantia.

Veni in altitudinem maris: * et tempestas demersit me.

Laboravi clamans; rauce factæ sunt fauces meæ: * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis

mei: * qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste: * quæ non rapui, tunc exsolvebam.

Deus, tu scis insipientiam meam: * et delicta mea á te non sunt abscondita.

Non erubescant in me qui expectant te, Domine: * Domine virtutum.

Non confundantur super me: * qui quærunt te, Deus Israel.

Quoniam propter te sustinui opprobrium: * operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis: * et peregrinus filiis matris meæ.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me: * et opprobria exprobandum tibi ceciderunt super me.

Et operui in jejunio

animam meam;* et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium:* et factus sum illis in parabolam.

Adversum me loquebantur qui sedebant in porta;* et in me psaliebant qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te, Domine:* tempus beneplaciti, Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me:* in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar:* libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum:* neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua:* secundum multitudinem

miserationum tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam á puero tuo:* quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, et libera eam:* propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum, et confusionem meam:* et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me:* improperium expectavit cor meum, et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit:* et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel;* et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum:* et in retributiones, et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum, ne videant;* et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos

iram tuam;* et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta:* et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt;* et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum;* et non intrent in justitiam tuam.

Deleantur de libro viventium;* et cum justis non scribantur.

Ego sum pauper et dolens:* salus tua, Deus, suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico:* et magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum novellum:*

cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes, et lætentur:* quærite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus:* et vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli et terra:* mare, et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet Sion:* et ædificabuntur civitates Juda.

Et inhabitabunt ibi:* et hæreditate acquirant eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam;* et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

Gloria Patri.

Ant. Exaudi nos, &c.

Antiphona repetita, surgunt omnes; et Episcopus, deposita mitra, et conversus ad Altare, dicit:

ADSUMUS, Domine sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati: veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris: doce nos quid agamus; quo gradia-

mur ostende; quid efficiamus operare. Esto solus et suggestor et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, et ejus Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summé diligis æquitatem: ut sinistrum nos non ignorantia trahat; non favor inflectat; non acceptio muneris vel personæ corrumpat: sed junge nos tibi efficaciter, solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus á vero; quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum modamine pietatis justitiam, ut híc á te in nullo dissentiat sententia nostra,

et in futuro pro beneficiis consequamur præmia sempiterna.

Respondent omnes.

Rz. Amen.

OREMUS.

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco specialiter aggregasti; mentes nostras, quæsumus, Paraclitus, qui á te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem; cunctosque in tua fide, et caritate corroboret; ut excitati á temporali Synodo, proficiamus ad æternæ felicitatis augmentum; Per eundem Dominum—in unitate ejusdem. *Rz. Amen.*

Oratione finita, Episcopus, accepta mitra, procumbit supra faldistorium, aliis omnibus genuflectentibus, et Cantores dicunt Litanias.

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus,
Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi
Deus, Miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.	Sancte Thaddæe, ora.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.	Sancte Matthia, ora.
Sancta Maria, Ora pro nobis.	Sancte Barnaba, ora.
Sancta Dei genitrix, ora.	Sancte Luca, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.	Sancte Marce, ora.
Sancte Michael, ora.	Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ, orate.
Sancte Gabriel, ora.	Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Sancte Raphael, ora.	Omnes sancti Innocen- tes, orate.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate.	Sancte Stephane, ora.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.	Sancte Laurenti, ora.
Sancte Joannes Baptis- ta, ora.	Sancte Vincenti, ora.
Sancte Joseph, ora.	Sancti Fabiane et Se- bastiane, orate.
Omnes sancti Patriar- chæ et Prophetæ, orate.	Sancti Joannes et Pau- le, orate.
Sancte Petre, ora.	Sancti Cosma et Da- miane, orate.
Sancte Paule, ora.	Sancti Gervasi et Pro- tasi, orate.
Sancte Andrea, ora.	Omnes sancti Marty- res, orate.
Sancte Jacobe, ora.	Sancte Silvester, ora.
Sancte Joannes, ora.	Sancte Gregori, ora.
Sancte Thoma, ora.	Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Jacobe, ora.	Sancte Augustine, ora.
Sancte Philippe, ora.	Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.	Sancte Martine, ora.
Sancte Matthæe, ora.	Sancte Nicolae, ora.
Sancte Simon, ora.	Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate.
	Omnes sancti Doctores, orate.

Sancte Antoni, ora.	A spiritu fornicationis,	} Libera nos, Domine.
Sancte Benedicte, ora.	A fulgure et tempestate,	
Sancte Bernarde, ora.	A flagello terræmotus,	
Sancte Dominice, ora.	A peste, fame, et bello,	
Sancte Francisce, ora.	A morte perpetua.	
Omnes sancti sacerdotes et Levitæ, orate.	Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ,	
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate.	Per adventum tuum,	
Sancta Maria Magdalena, ora.	Per nativitatem tuam,	
Sancta Agatha, ora.	Per baptismum, et sanctum jejunium tuum,	
Sancta Lucia, ora.	Per crucem et passionem tuam,	
Sancta Agnes, ora.	Per mortem et sepulturam tuam,	
Sancta Cæcilia, ora.	Per sanctam resurrectionem tuam,	
Sancta Catharina, ora.	Per admirabilem ascensionem tuam,	
Sancta Anastasia, ora.	Per adventum Spiritus sancti Paracliti,	
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate.	In die judicii,	
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.	Peccatores,	
Propitius esto. Parce nobis, Domine.	Te rogamus audi nos.	
Propitius esto. Exaudi nos, Domine.		
Ab omni malo,	} Libera nos, Domine.	
Ab omni peccato,		
Ab ira tua,		
A subitanea et improvisa morte,		
Ab insidiis diaboli,		
Ab ira et odio et omni mala voluntate,		

Ut nobis parceas,
 Ut nobis indulgeas,
 Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,
 Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
 Ut Dominum Apostolicum et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
 Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris,
 Ut regibus et principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
 Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
 Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas,
 Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
 Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias,
 Ut fructus terræ dare et conservare digneris,
 Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,

Te rogamus audi nos.

Episcopus solus cum ministris surgit, et baculum sinistra tenens, stans versus Synodum dicit: *Ut hanc*, &c. producitque signum crucis super omnes; et iterum procumbit usque ad finem Litaniarum.

Ut hanc præsentem Synodum visitare, disponere, et bene ✠ dice-

re digneris, Te rogamus, &c.

Ut nos exaudire digne-
ris, te rogamus.

Fili Dei, te rogamus.

Agnus Dei qui tollis
peccata mundi,

Parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis
peccata mundi,

Exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis
peccati mundi,

Miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Quibus dictis surgunt omnes, et Episcopus, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Ÿ. Flectamus genua.

R̄. Levate.

DA, quæsumus, Eccle-
siæ tuæ, misericors

Deus, ut Spiritu sancto
congregata, segura tibi
devotione servire me-
reatur; Per Dominum
—in unitate ejusdem.

R̄. Amen.

Deinde sedens cum mitra, facie versa ad Synodum, imponit incensum in thuribulum et benedicit, more solito, ministrante Presbytero Assistente naviculam, ut aliás.

Duo Canonici, Diaconali et Subdiaconali vestibus induti, ut in Missa, coloris rubei, benedictione de more accepta, una cum Acolythis candelabra deferentibus, accedunt ad partem dexteram Episcopi, et juxta eum in plano Diaconus cantat Evangelium: *Convocatis JESUS* &c. stantibus omnibus, et Episcopo baculum, ut aliás, tenente inter manus.

Sequentia sancti Evan-
gelii secundum Lu-
cam, c. ix. 1-6.

IN illo tempore: Con-
vocatis Jesus duode-
cim Apostolis, dedit il-
lis virtutem et potesta-

tem super omnia dæ-
monia, et ut languores
curarent. Et misit il-
los prædicare regnum
Dei, et sanare infirmos.
Et ait ad illos: Nihil
tuleritis in via, neque
virgam, neque peram,

neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de

civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique.

Osculatur librum Episcopus, et incensatur á Presbytero Assistente, de more.

Et statim sine mitra, genuflexus versus altare, toto Clero genuflexo, incipit Hymnum.

VENI, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.

Finito primo versu, surgunt omnes; et sine mitra Episcopus stat versus Altare usque ad finem.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus Paternæ dexteræ,
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio
Cum Spiritu Paraclito,

Nunc, et per omne sæ-
culum. Amen.

Tempore Paschali.

Deo Patri sit gloria,

Et Filio, qui á mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sæculorum sæcula.
Amen.

Ostiarii, dum cantatur Hymnus, excludant laicos, et portas ecclesiæ claudant.

Sedent omnes, et Episcopus, accepta mitra, sedens alloquitur Clerum alta voce :

VENERABILES con-
sacerdotes, et fratres
nostri charissimi; præ-
missis Deo precibus,
oportet ut ea, quæ de
divinis officiis vel sacris
ordinibus, aut etiam de
nostris moribus et neces-
sitatibus Ecclesiasticis
á nobis conferenda sunt,
cum charitate et benigni-
tate, unusquisque ves-
trûm suscipiat, summa-
que reverentia, quan-
tum valet, Domino
adjuvante, percipiat, vel
quæ emendatione digna
sunt, omni devotione,

unusquisque fideliter
studeat emendare: et
si cui forte, quod dice-
tur aut agetur, displice-
at, sine aliquo scrupulo
contentionis, palam co-
ram omnibus conferat:
quatenus Domino me-
diante, et hoc ad opti-
mum statum perveniat;
ita ut nec discordans
contentio ad subversio-
nem justitiæ locum in-
veniat, neque iterum in-
perquirenda veritate
vigor nostri ordinis, vel
sollicitudo tepescat.

Sequitur Allocutio seu Concio Synodalis, qua finita, *Secretarius* decreta secum ferens, comitatus á Cæremoniario, accedit ad Episcopum, cui facta debita reverentia, offert decreta et quærit ab eo, an velit ea nunc legi: quo annuente et reddente folia Decretorum, pulpitum ascendit, et alta voce legit, stans capite aperto :

I.—DECRETUM.

De Synodo incepta.

In nomine SS. ac Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

NOS N. N. Dei, et Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus, Sanctæ Ecclesiæ N. (*addat alios titulos, Comitum, seu Principum, si quos habet*), ad Dei Omnipotentis, ac Beatissimæ V. Dei Matris, et Sanctorum Patronorum nostrorum N. et N. laudem, nostram Dioecesanam Synodum incipimus; faxit idem Omnipotens Deus pro sua misericordia, precibusque Virginis Beatissimæ, ac eorundem Sanctorum, aliorumque, ut, quemadmodum speramus, ex hoc sacro cœtu, lumen et Spiritum omnes reportemus ad officia nostra, secundum voluntatem Dei peragenda.

II.—DECRETUM.

De Ministris Synodalibus.

CONSTITUIMUS in hac nostra Synodo:

1. *Promotorem.* R.D.
2. *Secretarium.* R.D.
3. *Præfectum Hospitii.* R.D.
4. *Procuratorem Cleri.* R.D. qui ad nos deferat, quæcunque Clerus exoptet.
5. *Judices quærelarum et excusationum.* RR. DD.
6. *Magistros Cæremoniæ.* R.D. pro Illmo et Rmo Episcopo: R.D. pro Rmo Capitulo, et R.D. pro Rdo Clero, quibus omnes obediant.
7. *Ostiares Synodi.* RR. DD. quibus item pareant omnes in eorum officio.
8. *Notarium.* R.D.
9. *Præfectos disciplinæ et scrutini.* RR. DD.
10. *Confessarios Cleri,* cum facultatibus absolvendi ab omnibus casibus et censuris,

Nobis quocunque modo, etiam speciali et vigore Trid. c. 6. S. 24 de ref., reservatis, durante Synodo. RR. DD.

11. *Cantores.* RR. DD.

12. *Æconomum pro Cathedralico.* R.D.

Officiales sequentes juxta I. Con. Westm. (xiii. 5 et xiv. 2, 3, 4, 7), publicamus nempe.

13. *Decanos Rurales.* RR. DD.

14. *Secretarios Conventuum pro casibus moralibus.* RR. DD.

15. *Archivistam.* R.D.

16. *Concilium pro administratione temporalium.* RR. DD.

III.—DECRETUM.

De præjudicio non afferendo.

DECERNIMUS, si cui contigerit, suo loco non sedere, aut incedere aut vocari, aut aliud quidpiam agere, propterea nemini no-

vum jus acquiri, nec quicquam de cujusque jure possessioneve detrahi; sed in eo ipso statu permanere, in quo ante hanc Synodum esse reperiebatur.

IV.—DECRETUM.

De non discedendo.

VOBIS præterea omnibus et singulis, qui huic Synodo jure interesse debetis, pœna excommunicationis proposita, vetamus, ne vestrûm quisquam á civitate N. discedat, antequam hæc nostra Dioecesana Synodus de more absoluta ac dimissa sit, nisi facultas á Vicario Generali sibi sit concessa: sed huic Synodæ synodalibusque actionibus, sessionibus ac conventibus quibuscunque, qui indicentur, omnes et singulos vos interesse jubemus, eadem excommunicationis pœna proposita.

Secretarius descendit de suggestu et una cum *Promotore* accedit ad Episcopum. *Promotor* iustat pro fidei professione.

Instantia pro fidei professione.

RĒME Pater et Domine. Cavit SS. Conc. Trid. ut omnes qui beneficia ecclesiastica consecuti sunt, et qui Synodo Dioecesanæ interesse debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore cele-

brabitur, fidei professionem faciant ac præsentent, prout illa Tridentina sanctione expressum est.

Ideó ego N.N. hujus Synodi Promotor, humiliter peto et requiro sanctionem illam legi, et ad præscriptum, ab iis qui tenentur, omnia et singula præstari.

Episcopus respondet: *Decernimus, mandamus ita fieri.* Discedunt, et *Secretarius* de suggestu, legit sedens:

V.—DECRETUM.

De Professione Fidei facienda.

SACROSANCTA Tridentinâ Synodo illud gravissimé sancitum est, ut quicumque Ecclesiastica beneficia obtinebunt, qui item ad Dioecesanam Synodum convenire debent, omnes in ea ipsa Synodo, ad quam primo convenient, professionem fidei faciant. Verba Tridentini Concilii hæc sunt, sess. 25, c. 2. de Ref. Cogit, et *infra.*

“Præcipit igitur Sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et omnibus aliis, qui de jure vel consuetudine, in Concilio Provinciali interesse debent, ut in ipsa prima Synodo Provinciali, post finem præsentis Concilii habenda, ea omnia et singula, quæ ab hac S. Synodo definita et statuta sunt, palam recipiant: nec non veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant, et profiteantur: simulque hæ-

reses omnes, á Sacris Canonibus et generalibus Conciliis, præsertimque ab hac eadem Synodo damnatas, publicé detestentur et anathematizent.

“Idemque in posterum, quicumque in Patriarchas et Primate, Archiepiscopos et Episcopos sunt promovendi, in prima Synodo Provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent.

“Quod si quis ex supradictis omnibus, quod absit, renuerit, Episcopi Comprovinciales statim Summum Pontificem admonere, sub pœna divinæ indignationis teneantur, inter-

imque ab ejusdem communione abstineant.

“Cæteri vero omnes, sive in præsentis sive in futurum, beneficia Ecclesiastica habituri, et qui in Synodo Dioecessana convenire debent, idem ut supra, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant et observent, aliás secundum formam Sacrorum Canonum puniantur.”

Accedant igitur omnes, et singuli, qui aliás in Synodo non præstiterunt, et fidei professionem ex formula præscripta á Pio IV. emittant, genuflexi in medio Clero ante Reverendissimum Episcopum.

Professionem emittent singuli qui debent; ii scilicet qui eam jam non emisissent, vel qui beneficium aut officium id requirens, post præcedentem Synodum, obtinuerunt.

Qui ergo professuri sunt fidem, accedant ad Episcopum, coram quo, genuflexi permaneant, donec, eorum nomine, formula professionis fidei, de suggestu á Secretario stante et aperto capite, legatur usque ad ea verba exclusivé: *Sic me Deus adjuvet.*

Idem Secretarius stans legit:—

*Formam professionis
fidei Catholicæ, Aposto-
licæ et Romanæ.*

EGO N...firma fide
credo, et profiteor
omnia et singula, quæ
continentur in Symbolo
fidei, quo sancta Ro-
mana Ecclesia utitur,
videlicet:

Credo in unum De-
um, Patrem omnipoten-
tem factorem cœli et
terræ, visibilium omni-
um et invisibilium. Et
in unum Dominum
Jesum Christum, Fili-
um Dei, unigenitum,
et ex Patre natum ante
omnia secula; Deum
de Deo, lumen de lu-
mine, Deum verum de
Deo vero; genitum, non
factum, consubstantia-
lem Patri, per quem
omnia facta sunt. Qui
propter nos homines, et
propter nostram salu-
tem descendit de cœlis.
Et incarnatus est de
Spiritu Sancto ex Ma-
ria Virgine; et Homo
factus est. Crucifixus
etiam pro nobis sub

Pontio Pilato, passus et
sepultus est. Et re-
surrexit tertia die se-
cundum Scripturas. Et
ascendit in cœlum, se-
det ad dexteram Patris.
Et iterum venturus est
cum gloria judicare
vivos et mortuos; cujus
regni non erit finis. Et
in Spiritum sanctum
Dominum, et vivifican-
tem, qui ex Patre Filio-
que procedit: qui cum
Patre et Filio simul
adoratur, et conglori-
ficatur: qui locutus est
per Prophetas. Et u-
nam Sanctam Catholi-
cam et Apostolicam
Ecclesiam. Confiteor
unum Baptisma in re-
missionem peccatorum.
Et expecto resurrecti-
onem mortuorum: et
vitam venturi sæculi.
Amen.

Apostolicas et Eccle-
siasticas traditiones, re-
liquasque ejusdem Ec-
clesiæ observationes et
constitutiones firmissi-
mé admitto et amplec-
tor.

Item sacram Scrip-

turam, juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacramentorum Scripturarum admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimum consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse veré et proprié Sacramenta novæ Legis, á Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre: et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem, sine sacrilegio iterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium

Sacramentorum solenni administratione, recipio et admitto.

Omnia et singula, quæ de peccato originali et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse veré, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi: fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis juvari.

Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse: eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissimé assero, imagines Christi ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse: atque eis debitum honorem ac venerationem impertendam.

Indulgentiarum etiam potestatem, á Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maximé salutarem esse affirmo.

Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram, agnosco; Romanoque

Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

Cætera item omnia, á sacris Canonibus et œcumenicis Conciliis, ac præcipué á sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque, ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentí sponté profiteor, et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum constantissimé, Deo adjuvante, retinere, et confiteri, atque á meis subditis, seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit,

teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego	idem N. spondeo, voveo, ac juro.
--	----------------------------------

Tum bini, seu terni, aut quaterni ad Episcopum propius accedant, tenentes librum Evangeliorum, et legentes profiteantur formula breviori.

Ego N. N. idem spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.

Singuli redeuntes Cancellario, seu Notario dent nomina, et cognomina.

DECRETA—*Concilii Provincialis et ipsius Episcopi*, de novo condita hæc interponuntur.

Promotor instat pro Decretis legendis in Synodo.

INSTANTIA PRO DECRETORUM LECTIONE.

REVERENDISSIME Pater, et Domine: Quo diligentior, et cumulatior executio sit tam Generalium, quam Provincialium et Dioecesanorum omnium Decretorum, et Edictorum adhuc editorum ad hujus Ecclesiæ rationem bene gerendam, Ego N. N. hujus Synodi Promotor a Reverendissima Amplitudine tua peto, atque insto, sive rursus promulgari, sive

monita eorum executionis de suggestu, ut moris est, et alia omnia edici, et enunciari, quæcumque in hac Synodo Dioecesana pro prudentia, et charitate sua Clero huic Dioecesano edici, et promulgari constituit, quo idem Clerus instructor indies fiat, et sollicitudinis studio inflammator sit ad omnem Ecclesiasticæ disciplinæ rectam, cumulatamque executionem, perpetuamque observantiam.

Secretarius post Decretum Episcopi de more factum ore tenus, ascendit suggestum, et sedens legit Decreta Conc. Provincialis ultimo celebrati, ut publicetur Clero.

De aliis Decretis Papalibus jubeat Episcopus hoc deinde loco legi.

Alia legantur arbitrio Episcopi, ordine servato dignitatis auctorum.

Inter legendum explicet identidem Episcopus causam Decreti quod legitur, et communi sermone loquatur, ut omnes intelligant quod ipse decreverit.

Deinde Promotor instat pro electione Examinatorum et Judicum.

INSTANTIA PRO ELECTIONE EXAMINATORUM ET JUDICUM.

REVERENDISSIME Pater et Domine; Concilium Tridentinum, Bonifacii VIII. Constitutioni inhærens, decrevit, ut in Conciliis Diœcesanis, aliquot personæ, dignitates aut personatus habentes, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici designentur deliganturve, quibus, præter locorum Ordinarios, causæ Ecclesiasticæ ac spirituales et ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, auctoritate litterarum

Sedis Apostolicæ vel Legatorum ejusdem, committantur. Decrevit insuper Examinatores singulis annis in Diœcesana Synodo, ab Episcopo vel ejus Vicario, ad minus sex proponi debere, ut in Parochialium Ecclesiarum vacatione, tres ex illis ab Episcopo deligendi, cum eo examen perficiant. Quamobrem ego N. N. hujus Synodi Promotor, humiliter peto et insto, tot personas, quot et quales Constitutiones prædictæ postulant, et alioquin ad id aptas, à Reverendissima Amplitudine tua designari, ita

ut in hac Synodo, pro hujus Diœcesis amplitudine, Examinatores et Judices deligantur, qui hujusmodi munus | examinandi judican-
dive, ex præscripto De-
cretorum Concilii Tri-
dentini præstent om-
nino.

Legitur decretum de eligendis Examinatoribus, qui nominantur et approbantur; et jurant statim ad Sancta Dei Evangelia. Approbatio fit per verba: *Placentne vobis?*

VI.—DECRETUM.

De Examinatoribus.

Ex Con. Trident.

S. 24, c. 18.

“**E**XAMINATORES autem singulis annis in diœcesana Synodo, ab Episcopo vel ejus Vicario, ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant et ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examinen perficiant: indeque succedente alia vacatione, aut eosdem aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat. Sint veró hi Examinatores, Magistri seu Doctores, aut Li-

centiati in Theologia aut jure Canonico, vel alii Clerici seu Regulares, etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei; jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia, se quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caveantque ne quidquam prorsus, occasione hujus examinis, nec ante nec post, accipiant; alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quam alii dantes, incurrant; á qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque, etiam antea obtinebant; et ad alia in posterum inhabiles red-

dantur. Et de his omnibus, non solum coram Deo, sed etiam in Synodo Provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur; á qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint.”

Tridentinum ergo

decretum Nos volentes exequi, pro Diœcesis nostræ amplitudine, proponimus vobis hos R.R. viros, qui munus hoc gerant, quoad altera Synodus habebitur:

M. R. D. N. N.

R. D. N. N., &c.

Placentne vobis?

Secretarius citat nominatos et approbatos Examinatores ad juramentum præstandum, dicens:

De jurejurando.

EXAMINATORES promulgati, accedant ad Reverendissimum Episcopum, coram quo, ex præscripta formula, jusjurandum præstent.

Formula jurisjurandi ab Examinatoribus præstanda.

EGO N. N. Examinatoris officium, quod suscepi, promitto, spondeo ac juro me fideliter

et sinceré, quantum in me est, executurum; sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.

VII.—DECRETUM.

De præstando juramento absentibus.

QUI Examinatores á nobis nominati et deputati sunt, si qui in Synodo, ex præscripto, jusjurandum non præstiterint, illud præstent, prout R. D. Vicarius Generalis mandaverit.

Legitur Decretum de eligendis Judicibus Synodalibus, qui deinde publicantur.

VIII.—DECRETUM.

De Judicibus Synodalibus. Ex. Con. Trid. S. 25, cap. 10.

“ QUONIAM ob malitiosam petentium suggestionem, et quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ mandantur, usque adeo haberi non potest, hincque interdum iudicibus non undequaque idoneis, causæ in partibus delegantur, statuit S. Synodus, in singulis Conciliis Provincialibus aut Diocesanis, aliquot personas, quæ qualitates habeant juxta Const. Bonifacii VIII. quæ incipit: *Statutum*, et aliquin ad id aptas designari: ut præter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causæ Ecclesiasticæ ac spirituales, et ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et si aliquem interim

ex designatis mori contigerit, substituatur Ordinarius loci, cum consilio Capituli, alium in ejus locum, usque ad futuram Provinciam aut Diocesanam Synodum; ita ut habeat quæque Diocesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas, ac ut supra qualificatas, quibus hujusmodi causæ à quolibet Legato vel Nuncio, atque etiam à Sede Apostolica committantur. Alioquin post designationem factam, quam statim, Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, Delegationes quæcumque aliorum Judicum, aliis quam his factæ, subreptitiæ censeantur. Admonet dehinc sancta Synodus, tam Ordinarios quam alios quoscumque Judices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant: ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia

parte iudicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.”

Ut igitur ejusmodi decreta exequantur, vo-

bis proponimus hos Viros Reverendos, quibus causæ delegentur iudicandæ, donec altera Synodus habeatur: RR. DD.

Subdit Secretarius Decretum de Commissione Investigationis constituenda, et nominantur Commissionarii.

IX.—DECRETUM.

De Commissione Investigationis constituenda.

CUM juxta tenorem Decreti S. Congn̄is de Propaganda Fide, die 21 Aprilis 1852, á SS̄mo. Dño. approbati, sancitum fuerit, ut Episcopus, in Synodo Dioecesana, quinque viros de clero nominet, qui Commissionem Investigationis constituent, pro audiendis causis adversum Rectores Missionarios allatis: cumque in Decretis Concilii Primi West-

monasteriensis (Cap. XIV. 6) decisum fuerit, esse “congruum ut horum duo, é gremio “Capituli, reliqui tres de clero assumantur:”

Nos igitur, hisce provisionibus inhærentes, et in Synodo Dioecesana constituti, ad hoc munus in Domino nominamus et instituimus, cum omnibus facultatibus ad illud implendum necessariis, R.D. Can. N: et R.D. Can. N. et RR. DD. N. N.

Insuper Nos, R.D. juxta eundem tenorem nominamus, qui eidem Commissioni præsideat.

Promotor instat pro vocatione Cleri et Cathedratico solvendo.

*Instantia pro vocatione
Cleri et Cathedratico
solvendo.*

REVERENDISSIME Pater et Domine: Sancitum est Conciliis Generalibus, et præcipuè Concilio Tridentino, quod omnes Ecclesiastici viri, qui jure, et consuetudine Synodo Dioecesanæ, quæ quotannis celebrabitur, etiam exempti, interesse debent, si negligentes fuerint, pœnas Sacris Canonibus sancitas incurrant. Quamobrem eos omnes ex suggestu publice vocari, et successive Cathedraticum jure Dioecetano debitum persolvi, humiliter peto.

X.—DECRETUM.

*De Clero vocando, et
Cathedratico solven-
do.*

VOCABUNTUR omnes et singuli, quicumque sunt, qui huic Synodo Dioecesanæ adesse debent; qui certo Ecclesiæ nomine universæ vocati ordine bini et collegiatim ad Reverendissimum Episcopum recte accendant, cui reverentiam exhibeant; et quia singuli nominatim vocabuntur, capite aperto, et stantes modesta altaque voce respondeant: Adsum.

Redeuntes ad Œconomum deputatum accedant, singulique Cathedraticum solvant: et Facultates quibus quisque gaudeat Vicario Generali exhibeat.

Tum nominantur singuli, qui debent interesse Synodo, et respondent: Adsum.

Promotor accusat contumaciam absentium.

*Instantia contra
absentes.*

REVERENDISSIME Domine, Cum jam

dies ... mensis... venit, quâ omnes et singuli Ecclesiastici Ordinis homines, hujus urbis et

Dioecesis, ad præscriptum diem, legitimè moniti Synodo huic jam præsentés adesse debent: cumque multi, non paruerint, sed usque adeó, vel negligentes, vel contumaces fuerint, ut neque præsentés adsint, neque justí impedimenti excusationem, causamve, aut nuntium miserint: ideó pro mei muneris officio, ego N. N. hujus Synodi Promotor, eorum con-

tumaciam accuso, hocque insto apud Reverendissimam Amplitudinem tuam, ut citationem valvis hujus Ecclesiæ Cathedralis affigi, et cum iisdem, tamquam cum inobedientibus, agi jubeat, prout juris est, et Sacrorum Canonum ratio postulat.

Respondet Episcopus: *Ita decernimus, ac jubemus.*

Promotor instat pro fine Synodi.

Instantia pro Conclusioné Synodi.

REVERENDISSIME Pater et Domine, Cum omnia, quæ in hac Dioecésana Synodo agenda et tractanda erant, divina auxiliante

gratia, ad optatum finem perducta sint, illud á Reverendissima Amplitudine tua peto, ego N. N. hujus Synodi Promotor, ut ipsam Synodum concludere, et cum benedictione dimittere dignetur.

Promotor deinde ad Notarium conversus, pro rogitu actorum in Synodo, agit, hæc verba proferens:

EGO N. N. hujus Synodi Promotor, rogo te N. N. Notarium Episcopalem, ut de omnibus et singulis in hac Synodo peractis, unum

plurave conficias instrumenta.

Notarius respondet: *Conficiam: præsentibus: N. N.*

Et addit in scriptis: *Hæc omnia fuerunt acta in publica sessione, ut supra, adhibitis etiam testibus, N. N. et N. N.*

XI.—DECRETUM.

De conclusione Synodi.

SYNODI nostræ diocesanæ N. Deo adiutore, optatum finem

videmus; quapropter eam cum gratiarum Deo actione concludendam esse decernimus, et conclusam enuntiamus.

(a) Sequuntur Acclamations: Diaconus, assistentium primus, aut alius aptior Canonicus, stans ad dexteram Episcopi, stantibus omnibus et Episcopo cum mitra versus Synodum, cantat: *Deo Patri, &c.*, desinens in ultima syllaba per notas, *fa, re*, nisi placeant aliæ: cui respondet Clerus, et desinit iisdem notis.

Acclamations.

DEO Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis et gratiæ, omnis laus, honor, et gloria in sæcula sæculorum.

Terminatio fit per fa, re.

R̄. Amen. Amen.

Eodem modo fit terminatio, quo suprà.


Beatissimo D. Nostro N. Papæ N. sanctæ et universalis Ecclesiæ Pontifici, Christiani no-

minis in omnes terrarum partes propagatio, cunctarum gentium obedientia, pax vera, diuturna prosperitas.

R̄. Domine Deus, SS. Patrem nostrum Ecclesiæ tuæ conserva, mitte illi auxilium de sancto, ut eo gubernante, gentes omnes illuminentur, et quæ dispersæ sunt, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

Reverendissimo D. Episcopo nostro, hujus Synodi Præsuli, ejusque ministris, salutaris

(a) Acclamations fieri solent in Synodo tantum prima, quæ ab Episcopo convocatur.



vigilantia, in laboribus constantia, et felix exitus.

R̄. Omnipotens Deus, super Antistitem nostrum, benedictionum tuarum dona perpetua multiplica.

N. Regi, et omnibus Principibus Christianis, Catholicæ religionis zelus, justitiæ et pacis fœcunditas, et contra Christianæ fidei hostes victoria.

R̄. Princeps cœlestis, terrenos Principes Catholicæ fidei, æquitatis et concordiæ conservatores, atque hostium nostrorum exterminatores, custodi.

Civitati, et Diœcesi N. tranquillitas, salus,

et divinarum gratiarum abundantia.

R̄. Benedic, Domine, filios tuos, et esto in circuitu populi tui ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Decretorum hujus Diœcesis observantiam salutarem, omnes, qui hîc adsumus, unanimi voto á Deo bonorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente Deipara Virgine Maria Domina nostra, cum Beatis Apostolis Petro et Paulo, et B. Patronis nostris N. N. et omnibus Sanctis.

R̄. Fiat, Fiat. Amen. Amen.

Deinde ab Ostiariis aperiuntur portæ, et Episcopus versus altare inchoat *Te Deum*.

TE Deum laudamus :*
Te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem,*
omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli,*
tibi cœli, et universæ
potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim :* incessabili voce proclamant :

Sanctus, Sanctus,
Sanctus :* Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli et

terra:* majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus* Apostolorum chorus.

Te Prophetarum* laudabilis numerus.

Te martyrum candidatus* laudat exercitus.

Te per orbem terrarum* sancta confitetur Ecclesia.

Patrem* immensæ majestatis.

Venerandum tuum verum* et unicum Filium.

Sanctum quoque* Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ,* Christe.

Tu Patris* sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem:* non horuisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo:* aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes:* in gloria Patris.

Judex crederis* esse venturus.

Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni:* quos pretioso Sanguine redemisti.

Æterna fac cum Sanctis tuis* in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine:* et benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos:* et extolle illos usque in æternum.

Per singulos dies,* benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum:* et in sæculum sæculi.

Dignare, Domine, die isto:* sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine:* miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos:* quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi:* non confundar in æternum.

Episcopus stans versus altare, stantibus et aliis, cantat:

Ÿ. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum.

Rz. Et laudabilis, et gloriosus in sæcula.

Ÿ. Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu.

Rz. Laudemus, et superexaltemus eum in sæcula.

Ÿ. Benedictus es, Domine Deus, in firmamento cœli.

Rz. Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

Ÿ. Benedic anima mea Domino.

Rz. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Ÿ. Domine exaudi orationem meam.

Rz. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum.

Rz. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis in-

finitus est thesaurus: piissimæ majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas.

DEUS, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

DEUS, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus præstas auditum; pro postulationibus nostris, votisque susceptis gratias agimus, te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Rz. Amen.

OREMUS.

NULLA est, Domine, humanæ conscientiæ virtus, quæ inoffense possit tuæ voluntatis iudicia experiri; et ideo, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa misericors Deus, quod perfecto æquitatis fine concludere peroptamus: te in nostris principiis occursores poposcimus; te in hoc fine iudiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus speramus; scilicet, ut ignorantia parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris; et quia con-

scientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceptum forsitan voluntas impulerit justitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus: ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Synodum a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum; qualiter, et transgressores venia, et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna; Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Secretarius ascendit suggestum et legit Decretum de dimissione Synodi.

XII.—DECRETUM.

De dimissione Synodi.

AD laudem Dei Omnipotentis, et B. Mariæ Virginis, ac S. N. Patroni nostri, et aliorum nostrorum Patro-

norum, decernimus Synodum dimissam: ac propterea, cuique eundem esse ad propriam Ecclesiam. Hortamur autem omnes vos, Fratres charissimi, ut tales vos præbeatis in minis-

terio vestro, quales maximé decet Sacerdoti, ab omni mundanorum cura segregato: illudque maximé, cum redieritis, præstandum erit, ut populus omnis, vos ab hac Synodo non mediocrem fructum reportasse intelligat: id

fiet, si novo Spiritus Sancti lumine illustrati, quæ magna Synodorum est vis ac virtus, cæteris in omni opere vestro imposterum præluere studueritis, et in omni parte Officii vestri, omnem diligentiam adhibueritis.

Episcopus benedicit Clero et populo solemniter, respondentibus cantoribus, genuflexoque Clero usque ad finem. Publicantur Indulgentiæ per eum cujus est easdem publicare in Missa.

Diaconus Assistens cantat, ut in Pontificali: *Recedamus in pace. R. In nomine Christi.*

Deponuntur paramenta, et Episcopus, facta oratione ante Altare majus, cum cappa reducitur á Capitulo et Clero ad Palatium.

Finis Synodi Dioecesanæ unica Sessione celebrandæ.

ORDO SYNODI DIOECESANÆ PRO TRINA SESSIONE.

PRIMA SESSIO.

1. **H**ORA indicta, Capitulo Ecclesiæ Cathedralis cum Seminario, et universo Clero in aula Episcopali congregato, descendit Episcopus ad Cathedralē Ecclesiam cappa indutus, ipso clero præcedente, Canonicis autem Episcopum sequentibus.

2. Si est Archiepiscopus, deferri facit ante se Crucem, imagine Crucifixi ipso respiciente.

3. In porta Ecclesiæ aquam benedictam de more sumit, et aspergit se, et alios.

4. Organa pulsantur, et campanæ, interea orat ante Altare Sanctissimi Sacramenti (quod non erit in Altari majori durante Synodo, si alias ibi asservatur) et ante Altare majus.

5. Cantatur Nona (ut alias Tertia in Festis) et induitur paramentis Pontificalibus.

6. Missa celebratur de Spiritu Sancto, absque ulla commemoratione, etiam Duplicis Festi, seu Dominicæ, et sine Evangelio in fine *ex Cærem. Episc. lib. 1, c. 31.*

7. Fit communio ejusdem Cleri, stolis rubeis assumptis, a Sacerdotibus, qui forte non celebrarunt.

8. Non datur benedictio in fine Missæ, *Ex. Cærem. loc. cit.* sed in fine sessionis: finita Missa exiit Episcopus paramenta Missalia usque ad Tunicellam inclusivè, et accipit Pluviale. Canonici retinent paramenta ut in Missa.

9. Peracta communione inchoatur Processio, pro qua distribuntur Tabellæ precum. Clerus autem sub una tantum Cruce procedit.

Finita Processione Clerus sua quisque loca petit; et Episcopus remanet in loco Synodali apud sedem sibi paratam, seu, faldistorium; si est Archiepiscopus, qui Crucem ejus defert, remanet in medio, in loco ut supra parato.

Tum Pontifex, deposita mitra, dicit sequentes orationes;

DE SPIRITU SANCTO.

Ÿ. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

Rz. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

DEUS qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

DE B. VIRGINE.

Ÿ. Dignare me laudare te Virgo sacrata.

Rz. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

OREMUS.

CONCEDE nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsentibus liberari tristi-

tia, et æterna perfrui lætitia.

DE S. GEORGIO.

Ÿ. Gloria et honore coronasti eum, Domine.

R̄. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

OREMUS.

DEUS qui nos beati Georgii martyris tui meritis et intercessione lætificas; concede propitius; ut, qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Christum, &c.

Cum aliquantulum sederint omnes, Diaconus, qui est à dextris Episcopi, stans cantat versus Clerum, *Orate*: iisdem notis, quibus alias cantatur: *Levate*.

Genuflectunt omnes versus altare, et orant mente, modico spatio. Tum adhuc genuflexus Episcopus, sine mitra, inchoat antiphonam *Exaudi nos Domine: ut supra*, p. 15.

Deinde omnia peraguntur sicuti in Unica Sessione usque ad DECRETA—*Concilii Provincialis, &c.*, exclusive, p. 32, interposito Decreto *De modo Vivendi in Synodo*. Vid. Appen. (F.)

Postea Promotor instat, accersito Notario, contra contumaciam absentium, his verbis:

Reverendissime Domine, Cum jam dies, etc., p. 38.

Resp. Episc. *Ita decernimus, ac jubemus*.

Tum ad Notarium conversus Promotor pro rogitu actorum in hac Sessione hæc verba profert: si duo sint, in num. plurali dicantur:

Ego N. N. hujus Synodi promotor rogo te N. N. Notarium Episcopalem ut de omnibus, et singulis in hac Sessione peractis unum, plurave conficias instrumenta.

Respondet Notarius: *Conficiam: presentibus N. N. etc.* Addit in scriptis: *Hæc omnia fuerint acta in publica Sessione, ut supra, adhibitis etiam testibus N. N. et N. N.*

Decretum pro discessu legitur etiam hoc Decretum de Suggestu a Secretario.

Ne quisquam a loco, etc. Vid. Appen. (H.)

Secretarius indicit pro sequenti die Officium mortuorum his verbis: *Edicimus præterea, etc.* Vid. Appen. (I.)

Deinde indicit Sessionem secundam his verbis: *Decernimus, etc.* Vid. Appen. (K.)

Diaconus assistens, seu Secretarius ad dexteram Episcopi can-

tat: *Orate*, genuflectunt omnes, etiam Episcopus cum Mitra, ut orent mente.

Idem Diaconus proponit capita Orationis Mentalis, cum deflexione vocis in ultima syllaba, a nota *fa* ad notam *re*.

Fratres charissimi, etc. Vid. Append. (N.)

Et inter singula capita interponit moram genuflexus, recitando secrete Psalm. Miserere, post singula capita. Cantat autem conversus ad Synodum.

Numerus capitum prædeterminetur ab Episcopo ad tria saltem.

In fine orationis, manente Clero genibus flexis, Episcopus surgit, et de more benedicit solemniter Clerum sine Indulgentiis.

Discedit cum Cappa, et Clerus post eum.

Finis Sessionis Primæ.

Si propter tardam horam Episcopus Sessionem prorogare velit, post Fidei Professionem ab omnibus prolatam, a Secretario indicitur continuatio Sessionis his Verbis, facto prius cum Episcopo verbo:

Decernimus et indicimus continuationem hujus Sessionis fore hodie hora.

Postea Promotor instat contra contumaces, et pro rogitu actorum ut supra.

Legitur Decretum pro discessu.

Exiit Episcopus Pontificalia, cappam induit, et data manu tantum benedictione Clero, post orationem brevem in faldistorio recedit; quem clerus Cathedralis Ecclesiæ tantum comitatur de more, et omnes discedunt.

Continuatio Sessionis.

A prandio statuta hora significata per campanæ sonum conveniunt omnes in Ecclesiam Cathedralem; cantantur Vesperæ cum Completorio, Episcopo præsentem in cappa.

Episcopus, finitis Vesperis et Completorio, apud sedem accipit Amictum, Stulam, Pluviale, Mitram et Baculum, et descendit ad sedem Synodalem. Canonici, item et alii, parantur ut mane.

Diaconus Assistens a dextris cantat: *Orate*, et omnes genuflectunt. Post modicum spatium surgit Episcopus, et dicit ora-

tionem: *Adsumus*, conversus ad Altare: si tempus est Paschale stant et alii de Clero.

Sedent omnes, et Promotor instat pro legendis Decretis, p. 32.

Secretarius legit: indicit pro sequente die Officium, et Promotor instat iterum contra contumaciam absentium, ut supra.

Diaconus cantat capita orationis, etc. ut supra.

SESSIO SECUNDA.

HORA indicta, et dato signo cum campana convenit Clerus in Ecclesiam majorem, ubi expectat Episcopum, qui Cappam indutus, comite Capitulo ejus, descendit in eandem cum solitis aspersione et precibus ante SS. Sacramentum et Altare majus.

Cantatur Missa a Canonico pro Defunctis, cum unica oratione, *Deus qui inter Apostolicos*, Epistola, et Evangelium, ut in Missali in prima Missa, Sequentia alternatim dicitur a toto Clero, vel a Musicis.

☞ In fine Missæ extenditur pannus niger ante sedem Episcopi, induitur Episcopus Amictu, Stola, Pluviali nigro, et Mitra simplici, Subdiaconus cum Cruce, et Acolythy cum candelabris sistunt se ad caput panni contra, Episcopum; alii duo Acolythy deferunt vas aquæ benedictæ cum aspersorio, et thuribulum cum navicula: Capellanus Missalem librum, in quo continetur oratio, ut infra.

In Choro cantatur responsorium longum *Libera me*, etc. et reliqua fiunt de more: Oratio Missæ, vel, *Absolve*, sed in numero plurali, mentione facta Episcoporum, et Sacerdotum tantum. Cantores duo dicunt: *Requiescant in pace*; et amovetur pannus.

Mutat Episcopus vestes nigras in rubeas, et assumpto baculo descendit ad sedem Synodalem, cum Canonicis indutis ut heri.

Postquam sederit aliquantulum, invitante Diacono Assistente Clerum iis verbis; *Orate*; genuflectunt omnes, et Episcopus sine Mitra inchoat ut heri Antiphonam:

Propitius esto peccatis nostris Domine, ne- | quando dicant gentes,
| ubi est Deus eorum?

Qua finita surgunt et sedent omnes, tecto capite, dum cantatur

PSALMUS LXXVIII.

DEUS, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum,* posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli,* carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem;* et non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris;* subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo, Domine, irasceris in finem;* accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt,* et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt;

Quia comederunt Jacob,* et locum ejus desolaverunt.

Ne memineris iniqui-

tatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ,* quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutaris noster; et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos:* et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum;

Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum?* et innotescant in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est:* introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui,* posside filios mortificatorum;

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum* improprium ipsorum, quod exproba-verunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ,* confitebimur tibi in seculum.

In generationem et | tiabimus laudem tuam.
 generationem* annun- | Gloria Patri, &c.

Repetita Antiphona, Episcopus deposita mitra, surgit et stans versus altare dicit;

OREMUS.

NOSTRORUM tibi, Domine, curvantes genua cordium, quæsumus, ut bonum quod in nobis a te requiritur exequamur: scilicet, ut prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduæ subtile iudicium faciamus; ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitæ actionis; Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

OREMUS.

MENTIBUS nostris, quæsumus Domine, Spiritum sanctum benignus infunde: quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum modera-

mine pietatis justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra; sed semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, et dictis exequamur et factis; Per Dominum—in unitate ejusdem. *R.* Amen.

OREMUS.

Ÿ. Flectamus genua.
R. Levate.

DEUS, qui nos justitiam loqui, et quæ recta sunt præcipis iudicare: tribue nobis, ut neque iniquitas in ore, nec pravitas inveniatur in mente, ut puro cordi purior sermo consentiat, ostendatur in opere justitia, neque appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur; Per Dominum.

R. Amen.

Cantatur Evangelium ut heri.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam, c. x. 1-9.

IN illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam, salutave-

ritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Dicitur Hymnus "Veni Creator," ut heri, clauduntur portæ, et alloquitur clerum Episcopus.

VENERABILES, et dilectissimi fratres nostri, oportet, ut sicut alterâ die admonuimus benignam mansuetudinem vestram, de divinis officis, et sacris altaris gradibus, aut etiam de moribus, et necessi-

tatibus Ecclesiasticis, quæcumque emendanda, vel renovanda sunt, charitas omnium vestrum, ubicumque noverit aliqua emendatione condigna, in medium proferre non ambigat; ut per vestræ charitatis

studium, Domino largiente, ad optimum perveniant statum, ad laudem, et gloriam nominis Jesu Christi Domini nostri.

Promotor instat pro electione Judicum et Examinatorum. *Reverendissime*, etc., p. 33.

Secretarius post decretum Episcopi oretenus factum, ascendit pulpitem et legit Decretum Con. Trident. *Quoniam ob malitiosam*, etc. tum nominat Judices cum suis titulis, ut *ibid*, p. 36.

Subdit ex Decret. Con. Trident. *Examinatores autem*, etc., p. 34.

Nominat Examinatores electos cum suis titulis.

Approbantur a clero, altero ex duobus modis supra positis.

Secretarius legit Decretum *De jurejurando*, et jurant Examinatores, p. 35.

Addit Secretarius Decretum *De Commissione Investigationis constituenda*, et nominantur Commissionarii, p. 37.

Promotor instat pro Decretis legendis in Synodo: *Rev. &c. Quo diligentior*, &c., p. 32.

Secretarius post Decretum Episcopi de more factum oretenus, ascendit suggestum, et sedens legit Decreta Conc. Provincialis ultimo celebrati, ut publicetur Clero.

De aliis Decretis Papalibus jubeat Episcopus hoc deinde loco legi.

Alia legantur arbitrio Episcopi, ordine servato dignitatis auctorum.

Inter legendum explicet identidem Episcopus causam Decreti quod legitur, et communi sermone loquatur, ut omnes intelligant quod ipse decreverit.

Promotor instat pro vocatione Cleri et Cathedralico solvendo, p. 38.

Secretarius legit Decretum, p. 38.

Tum nominantur, &c., p. 38.

Si hora sit tarda, de suggestu a Secretario indicitur continuatio Sessionis his verbis, facto prius verbo cum Episcopo;

Decernimus et indicimus continuationem hujus Sessionis fore hodie, hora.....

Postea Promotor instat contra contumaciam absentium ut heri: et rogat ut de omnibus et singulis in hac Sessione peractis instrumenta conficiantur, pp. 38-9.

Decretum pro discessu a Secretario legitur. Vid. Append. (II.)

Exiit Episcopus Pontificalia, cappam induit, et data manu tantum benedictione Clero, post orationem brevem in faldistorio

recedit, quem Clerus Cathedralis Ecclesiæ tantum comitatur de more: et omnes discedunt.

Continuatio Sessionis.

Statuta hora omnes conveniunt in Ecclesiam: et cantantur Vesperæ cum Completorio.

Deducatur Episcopus in Ecclesiam, ubi orat ante SS. Sacramentum et ante Altare majus. Apud sedem suam accipit Amictum, Stolam, Pluviale, Mitram et Baculum: descendit ad Sedem Synodalem; Canonici item et alii parantur ut mane.

Diaconus Assistens a dextris cantat; *Orate, &c.* ut mane, et dicitur "*Adsumus.*"

Sedent omnes, et Promotor instat pro continuanda lectione Decretorum. Vid. Append. (E.)

Reliqua fiunt ut heri, excepto quod mutantur capita Orationis Mentalis, p. 63.

Finis Sessionis Secundæ.

SESSIO TERTIA.

HORA indicta omnes conveniunt, et Missa de SS. Trinitate cantabitur a Canonico, cum Oratione addita pro gratiarum actione sub duplici conclusione. Dicitur Credo.

Episcopus assistit indutus amictu, alba, stola et pluviali, albi coloris.

In fine Missæ non datur benedictio; sed paratis Canonicis, et assumptis ab Episcopo paramentis rubeis, itur ad locum Synodalem.

Inchoatur Sessio ut prima die, Antiphona *Exaudi* et Psalmo *Salvum me fac.*

Repetita Antiphona, Episcopus dicit;

OREMUS.

AD te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, unanimiter postulamus, ut respectu tuæ gratiæ solidati, præcones veritatis efficiamur intrepidi, tu-

umque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Per Dominum.

Rz. Amen.

OREMUS.

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui

sacro verbi tui oraculo promisisi, ubi duo, vel tres in nomine tuo congregati essent, te medium fore: adesto cœtui nostro propitius, et cor nostrum illumina misericors: ut a bono misericordiae tuæ nullatenus aberremus, sed rectum justitiæ tuæ tramitem in omnibus teneamus. Per Dominum.

R̄. Amen.

OREMUS.

Ÿ. Flectamus genua.
R̄. Levate.

DEUS, qui populis tuis et indulgentia consulis, et amore dominaris; da Spiritum sapientiæ tuæ, quibus dedisti regimen disciplinæ: ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna Pastorum. Per Dominum, —in unitate ejusdem.
R̄. Amen.

Cantatur Evangelium cum solitis cæremoniis.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum xviii. 15-22.

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium

testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de

omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus, ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies.

Postea dicitur "Veni Creator," ut prima die, et Allocutio ut infra.

VENERABILES et dilectissimi fratres: convenit, ut ea quæ de ecclesiasticis officiis, et sacerdotalibus gradibus, vel etiam canonicis sanctionibus, propter diversas occupationes, aut (quod negare non possumus) propter nostram, aliorumque desideriam, non tam plene, ut oportet, executæ sunt; omnium nostrum unanimi consensu et voluntate requirantur, et humiliter coram charitate vestra recitentur; ut quæ digna sunt emendatione ad meliorem statum, auxiliante Domino perducantur. Et cui fortasse aliquid, quod digestum est, displicet, charitati vestræ cum benignitate et modestia intimare non differat; quatenus totum quod synodali conventionem nostra statutum fuerit vel renovatum, absque omni contrarietate, concordia sanctæ pacis ab omnibus æque custodiatur, ac teneatur, ad augmentum æternæ beatitudinis omnium nostrum.

Promotor instat ut legantur, si quæ supersunt legenda.

Legit ergo Secretarius quæ restant: quibus perlectis, Promotor instat pro conclusione Synodi; et Decretum de Conclus. a Secretario legitur, pp. 39-40.

Promotor instat contra absentes, et pro rogitu, pp. 38-39.

Fit pastoralis sermo ab Episcopo ad Clerum circa Decretorum observantiam.

Deinde ab Ostiariis aperiuntur portæ, et Episcopus versus altare inchoat, "TE DEUM," p. 41.

Si fit Processio distribuntur Tabellæ precum.

Diaconus assistens cantat, ut alias: *Orate*; et genuflectunt omnes.

Proponuntur nova capita orationis mentalis, p. 63.

Acclamationes fiunt, saltem in prima Synodo, ut aliquando fiant, et Cæremonialis non eas prohibet, sed parcius adhiberi censet in Diœcesanis Synodis; et licet Bononiæ fiant genibus flexis, Mediolani tamen et alibi a Clero stante.

Diaconus ergo assistentium primus, aut alius aptior Canonicus, ad dexteram Episcopi stans, stantibus omnibus, et Episcopo cum mitra versus Synodum, cantat: *Deo Patri*, &c. desinens in ultima Syllaba per notas *fa, re*; nisi placeant aliæ.

Cui respondet Clerus, et desinit iisdem notis.

Finitis acclamationibus, sedet Episcopus, et excipit Vicarium, Canonicos, et primiores Cleri tam Urbani, quam Foranei ad osculum pacis de more, et cum verbis: *Ÿ. Pax tecum. R. Et cum Spiritu tuo.*

Qui deinde dabunt pacem per osculum Clericis suis de more, ut in Missa.

Secretarius ascendit suggestum, et legit Decretum de dimissione Synodi. *Ad laudem Dei Omnipotentis*, &c., p. 44.

Episcopus benedicit Clero et populo solemniter, respondentibus Musicis cantoribus, genuflexoque Clero usque ad finem.

Publicantur Indulgentiæ per eum, cujus interest in Missa.

Diaconus Assistens cantat, ut in Pontificali: *Recedamus in pace. R. In nomine Christi.*

Deponuntur paramenta, et Episcopus, facta oratione ante Altare majus, cum cappa reducitur a toto Clero ad Palatium.

Finis totius Synodi Diœcesanæ.

Ordo Synodi Diœcesanæ per duos dies distributæ.

SESSIO PRIMA.

DESCRIBIMUS eundem ordinem, quem præscripsit Gabriel Palæottus Cardinalis Archiepiscopus Bononiensis in suo Archiep. par. 4.

Summo enim mane cum cappa indutus Episcopus, deducitur

ab universo Clero in Ecclesiam; ac facta ibi brevi oratione cantat Missam Pontificalem. Missa est de Spiritu Sancto.

Post Evangelium concio brevis habetur: communio Cleri fit ab Episcopo.

Finita Missa, pluviale induit, incipit Antiphonam, *Exaudi*, et facit ut in Pontificali usque ad Hymnum: *Veni Creator Spiritus*.

Sedent omnes, et Episcopus sermonem habet.

Tum leguntur Decreta de non afferendo præjudicio; de constituendo Ministros Synodales et item de emittenda Fidei Professione sine instantia Promotoris.

Professionem fidei emittunt singuli, qui debent; ii scilicet, qui beneficia obtinuerunt post præcedentem Synodum.

Ad instantiam Promotoris finitur prima sessio; et Episcopus benedicit solemniter, intimata secunda sessione.

SESSIO SECUNDA.

COMITATUS a toto Clero venit Episcopus cum cappa ad Ecclesiam: audit sacrum celebratum a Canonico, neque fit processio.

Post Evangelium Missæ habetur concio.

Finita Missa induit Episcopus Pluviale, et Mitram, et incipit Hymnum: *Veni Creator*; et postea sermonem habet vel ipse, vel per alium.

Leguntur deinde Decreta de eligendis Examinatoribus, qui nominantur, et approbantur, jurant statim ad Sancti Dei Evangelia. Approbatio fit per verba; *Placentne vobis?* p. 34.

Item Decretum de eligendis Judicibus Synodalibus: et publicantur, p. 33.

Item Decreta condita ab Episcopo de novo.

Item Decretum de Clero vocando, et Cathedratico solvendo, p. 38.

Tum nominantur singuli, qui debent interesse Synodo, et respondent; *Adsum*: et Cathedraticum solvatur.

Promotor accusat contumaciam absentium, et instat pro fine Synodi, pp. 38-39.

Rogat item Notarium pro Actorum rogitu, p. 39.

Fiunt Acclamationes, p. 40.

Deinde cantatur *Te Deum*, p. 41.

Benedicit Episcopus solemniter, cum Indulgentiis.

Cantatur: *Recedamus in pace*, &c.

Redit ad Palatium Episcopus cum Capitulo, et Clero Cathedralis Ecclesiæ tantum.

APPENDIX.

VARIÆ FORMULÆ SYNODALES.

(A) *Formula Edicti pro indicenda Synodo.*

N. Dei, et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

Omnibus has visuris salutem et benedictionem in Domino.

SYNODUM Diœcesanam hoc Anno, Deo juvante habituri, ut SS. Patrum instituta, præceptaque sequamur, ne pereat fructus ille, quem ex ea capere omnes possumus, monemus in Domino, ac pœnis Sacrorum Canonum, seu aliis ad arbitrium nostrum proponendis, jubemus in virtute Sanctæ Obedientiæ, Ecclesiæ nostræ Cathedralis Canonicos, omnesque etiam Regulares, curæ animarum in Diœcesi nostra addictos, et quoscunque tam e Clero Sæculari quam Regulari, qui ratione Facultatum quas a nobis obtinent, vel ex alio aliquo titulo Synodo hujus Diœcesis interesse debent, die...mensis...proximi in nostram Cathedrallem Ecclesiam N. convenire, neque vero pro se alios mittere; nisi qui legitima causa sint impediti, quam nobis probaverint. Volumus autem ut hæc Synodi indictio affixa

valvis Cathedralis Ecclesiæ, perinde omnes et singulos interesse debentes afficiat, ac si fuisset singulis singillatim intimata.

In Feria quaque Quinta ante Synodum a Die...Missæ de Spiritu Sancto fiant, nisi sit Festum duplex: tunc vero, Collecta de eodem Spiritu Sancto dicatur; et in Dominicis ac Festis Diebus, Litanis Sanctorum ante Missam recitentur.

Datum...Die...Mensis...A.D.

(B) *Formula prorogandi Synodum.*

SYNODUM Diœcesanam, quæ jussu nostro indicta erat die...mense...prorogamus dignis de causis, ac differimus ad diem...mensis...proxime futuram, vel in diem arbitrati nostro statuendam, et aliis literis edicendam. Datum, &c.

(C) *Formula indicendæ Synodi pridie Sessionis primæ.*

Crastina die, quæ erit...mensis, anni...hora...

OMNES qui Synodo interesse debent, adsint superpelliceis

induti in Palatio Episcopali ad deducendum Reverendissimum in Ecclesiam Cathedralē.

Qui nondum in Synodo professionem Fidei emisit, ferat secum schedulam, in qua scriptum sit nomen et cognomen professuri, quam, emissa professione, tradet Magistro Actorum Episcopaliū, seu Notario Synodali.

(D) *Formula Præmonitionum Cleri.*

1. **U**T instructor accedat Clerus ad Synodum, præmoneri debet de sequentibus arbitrio Episcopi.

2. Accedant cum vestibus talaribus, et birretis, et superpelliceis mundis. Canonici, cum Ecclesiasticis eorum insignibus.

3. Qui sine titulo Ecclesiis inserviunt, sive Curati, sive Capellani nomine, et ii præsertim, qui Confessiones audiunt, litteras afferant facultatis, seu deputationis suæ.

4. Beneficiati, et Curati qui nondum detulerunt, afferant Inventaria bonorum stabilium, et mobilium Ecclesiæ suæ, sacraeque supellectilis, aut si habent, quæ addant, renovent, aut suppleant.

5. Presbyteri sæpius moneant populos suos, ut uberem fructum a Deo piis precibus postulent; et ut die Dominica Synodum proxime antecedenti ad eundem effectum rite confessi

communicent; idemque multo magis præsentent Clerici, cum ad Synodum venerint, in prima Missa Synodali.

6. In feriis quintis ante Synodum a die.....Missæ de Spiritu Sancto fiant, vel Collecta dicatur, et in Festis diebus Litanïæ Sanctorum ante Missam recitentur.

FORMULÆ PRO PROMOTORE,
ET SECRETARIO.

(E) *Instantia pro continuanda lectione Decretorum.*

REVERENDISSIME Pater, et Domine: Cum ea, quæ cœpta sunt legi, Clero sint valde utilia, neque potuerint angustia temporis absolvi, ego N. N. hujus Synodi Promotor peto, et insto, ea legi, quæ desiderantur, antequam dimittatur Synodus.

DECRETUM,

(F) *De modo vivendi tempore Synodi.*

Quoniam nihil fere sæpius, et divinis litteris, et Ecclesiasticis monumentis commendatum est, quam Clericalis ordinis hominum vitæ integritas, innocentia, fides, religio, pietas, virtutumque omnia ornamenta, quibus domus Dei potissimum excolitur: ideo Clerum nostrum hic præsentem monemus, et per viscera misericordiæ Dei nostri testamur, ut cum sem-

per, tum maxime hoc tempore in verbo, in conversatione, in charitate laicis hominibus præluceat omni virtutum splendore. Tabellam igitur disciplinæ Synodalis a nobis, propositam diligenter observent: quæ est hujusmodi.

SACERDOTALIS personæ officia Clerus secum cogitans, tum actionem quoque Synodalem, cui Spiritum Sanctum adesse confidimus, animo esse studeat semper religiosis cognitionibus instructo, et ad ea officia attento, quæ sacrum virum, Deique ministrum præstare decet.

In cognitione earum rerum fixi Sacerdotes et Clerici, quarum causa huc venerunt, ne aliis negotiis implicentur.

Non solum a malo, sed ab omni suspitione, et specie mali absterneant.

In hospitio modestiam loquendo, edendo, atque bibendo semper servant diligenter, præsertim ubi laici adsint.

Per plateas non vagentur, neque curiose discurrant.

Orationi sese deditos præstent, ut sibi, populisque in actione Synodali auxilia salutaria a Deo impetrant.

Sacerdotes Missæ sacrificium quotidie celebrent, non vero in Ecclesiis Monialium sine nostra facultate, seu Vicarii Generalis.

Decenter induti ad proprium Synodalem locum quiete veniant.

Ordine consideant ad Præfectorum præscriptum, seu Magistrorum Cæremoniarum.

Nec voce obstrepant, neve colloctionibus mutuis operam dent.

Ne alia ratione rem Synodalem perturbent.

Silentio utantur, tum maxime, cum de suggestu aliquid edicitur, pronunciatum aut legitur, quod quidem attentissime audiant.

Omnes attentis sint et Clericis deputatis pareant, ut, cum standum est, stent; cum genua flectenda sunt, flectant; cum sedendum, sedeant.

Ne quis a suo loco discedat nisi absoluta Sessione, aut necessaria de causa; cum autem discedere necesse est, facultatem a Vicario Generali petat, et reversus ad eum veniat, antequam suo loco consideat.

DECRETUM.

(G) *De Continuatione Sessionis.*

Decernimus, et indicimus continuationem hujus sessionis fore hodie, hora.....

DECRETUM.

(H) *De Discessu.*

Ne quisquam a loco ante discedat, quam Reverendissimus Episcopus e Synodo abierit, nec vero raptim, turbulenturve, sed graviter, et decore incessu.

Capitula, et Clerici Ecclesiarum Collegiatarum, ut collegiatim venerunt, ita recedant, prælata Cruce.

DECRETUM.

(I) *De Officio Mortuorum.*

Edicimus præterea cras pro Sacerdotibus et Clericis, qui post ultimam Synodum obierunt, solemnem commemorationem fieri.

DECRETUM.

(K) *De Sessione Secunda.*

Decernimus, et indicimus Sessionem sequentem fore crastina die mane, quæ erit hujus mensis...hora...

(L) *Instantia pro indictione futuri Synodi.*

Antiquo item Canone cantum est, ut proximam Synodum Diœcesanam in Sessione Episcopus indicat: Ideo ego N.N. hujus Synodi Promotor humiliter insto, Synodum Diœcesanam proxime futuram in hoc Synodi conventu omnibus, qui interesse debent, pronunciari et indici.

DECRETUM.

(M) *De futura Synodo.*

Aliam præterea futuram Synodum indicimus juxta Tridentinam Sanctionem habendam

anno sequenti.....die.....mensis.....nisi aliqua ex causa illam prorogari, ad vos datis litteris, alias per Edictum publicum intellexeritis.

(N) *Capita Orationis mentalis in fine Sessionum.*

1. *In fine primæ Sessionis : Orate. Per notas fa, re.*

Fratres charissimi, *per notas, fa, mi, re, fa, fa. Sequentia cantantur tardius.*

TOTO corde conversi ad Dominum mentes ad Cælum erigamus, et corporibus prostrati hæc devote precemur, invocatis SS. Patronis, et Protectoribus hujus Diœcesis N. N. item SS. Martyribus N. N. cum cæteris Beatis, quorum corpora quiescunt in hac Diœcesi, *Terminatio fit per fa, re.*

Orate intimo corde, ut Dominus peccatorum vestrorum veniam vobis concedat, negligentis indulgeat, ignorantis parcat, errata omnia condonet, quæ in Clericali disciplina, in officiis Sacerdotalibus, multiplici errore commisistis. Intimo charitatis affectu singuli pro Reverendissimo Episcopo, et omnibus, qui in hoc Clero continentur, item orate, orate invicem, ut salvemini, *Terminatio fit semper, ut supra, et fit pausa per unum Miserere.*

Fratres charissimi, unani-

mes perseverate in oratione, et petite a Patre misericordiarum, et Deo totius consolationis, quem credimus esse in medio hujus Sacri cœtus, petite Spiritus Sancti dona, ut posthac digne omnes ambulent vocatione, qua vocati sunt, ut Sacramenta digne ministrent, verbum Dei cum fructu prædicent, animas sollicitè curent, religiose vivant, in patientia possideant animas suas.

Fratres charissimi, unanimes orate pro SS. D. nostro N. Papa ...Christi Vicario, ut Sanctam Ecclesiam sancte gubernet cum Sacro Card. Collegio: Orate pro S. Catholica, et Apostolica Ecclesia Romana toto orbe terrarum diffusa, ut eam Deus conservet, defendat, augeat, exaltet ad honorem, et gloriam suam.

2. In fine secundæ Sessionis.

Fratres charissimi, unanimes orate, ut bonum, quod in nobis a Rev....mo Antistite nostro, tam intenso charitatis studio, et officio requiritur, omnino exequamur, utque prompta cum eo sollicitudine gradientes, digne ambulemus vocatione, qua vocati sumus, omnique in opere bono crescentes, obediamus studiis Deo placitum orationum.

Fratres charissimi, orate pro Rev....mo Episcopo Nostro N. ut Divino Spiritu illustratus, et roboratus, una cum suis adju-

toribus, et cum grege suo consequatur vitam æternam.

Fratres charissimi, orate unanimes Spiritum Dominum Messis hujus, ut operarios mittat in messem suam, detque omnibus hujus vineæ N. operariis Spiritus Sancti ignem, ac lumen, demumque æternam mercedem.

Ubi adest Provincia loco primi capituli Orationis in 2. Sessione dicatur.

Fratres charissimi, unanimes orate pro Provincia N. pro Illustr. Metropolitanò, et pro omnibus Provinciæ Episcopis, ut sancte regant Ecclesiam Dei, ut flagella, perturbationes, contentiones, errores omnes, et omnes adversitates dignetur avertere, detque illis in tranquillitate, paceque Sancta Ecclesias suas gubernare.

3. In fine tertiæ Sessionis.

Fratres charissimi, orate toto cordis affectu pro Rege Nostro, et Rectoribus temporalibus hujus nostræ Diœcesis, ut cum pace, et salute communi munus suum exequantur, recta semper sentiant, et operentur; et vitam sempiternam mereantur.

Fratres charissimi, orate unanimes, ut Deus spiritum religiosæ observantiæ det omnibus viris regularibus hujus Diœcesis ad suam salutem, et ædificationem populorum: om-

nibus item Monialibus ad salutem suam, et aliorum.

Fratres charissimi, unanimes orate pro cunctis populis hujus Diœcesis, ut Deus conservet Sanctam Fidem Catholicam, peccata eliminet, augeat devotionem, concedat abundantiam fructuum terræ ad eorum felicitatem.

Si quid occurrat tempore Synodi, pro quo specialiter sit orandum, addatur capitibus prædictis, quæ licet in tres dies sint distributa, possunt tamen unoquoque die simul cantari, ut oretur eo triduo pro prædictis omnibus.

FORMULA INDICIS

TOTIUS ACTIONIS SYNODALIS PRO SECRETARIO
PROMOTORE, ET MAGISTRIS CÆREMONIARUM.

PRIMA SESSIO.

CLERUS totus in Palatio.
Episcopus cum cappa descendit.
Paratur cum Canonicis.
Missa de Spiritu Sancto. Incensatur Clerus.
Communio Cleri.
Non datur benedictio.
Processio. *Orate.*
Antiph. *Exaudi,* genibus flexis.
Psalm. *Salvum me fac,* sedent.
Orationes: *Adsumus, etc.*
Litanïæ.
Oratio.
Evangelium cum osculo, et thure.
Veni creator.
Venerab. Sermo.
Decreta de initio Synodi, modo vivendi, Ministris, præjudicio, de non discedendo.
Promotor pro fidei professione.
Secret. Decretum de eadem.
Formula Professionis Pii IV.
Genuflectunt professuri. Brevis professio super Libro Evangeliorum.

Promotor contra absentes, et pro rogitu.
Secret. Decretum de discessu.
Indictio Officii mortuorum, et Sessionis sequentis.
Oratio mentalis. *Orate, etc.*
Episcopus benedicit solemniter, et discedit.

SECUNDA SESSIO.

CLERUS in Ecclesia. Canonici in Palatio, Episcopus in cappa usque ad finem Missæ Defunctorum.
Absolutio sollemnis ad sedem, cum panno, cruce, etc.
Oratio, *Absolve.*
Paratur pro Synodo cum Canonicis.
Antiphona, *Propitius,* genibus flexis.
Psalm. *Deus venerunt,* sedent.
Orationes. Evangelium. Veni Creator. Venerab. Sermo.
Promotor pro Judic. et Examinator.
Secret. Decret. de iisdem.
Proponuntur, et approbantur.

Decretum de juramento, jurant Examinatores.

Decretum, ut absentes jurent.

Decretum de Commissione Investigationis.

Promot. pro legendis Decretis de moribus.

Secret. Decreta Concilii Prov. ultimi.

Et alia.

Indictio continuand. Sess., recedunt.

A prandio.

VESPERÆ et Complet.
Episcopus in Cappa. Paratur in fine Amictu, Alba, Stola et Pluviali: Parantur Canonici.

Promotor pro continuatione Decretorum.

Secret. eadem legit.

Promotor contra absentes et pro rogitu.

Oratio mentalis.

Benedictio solemnis.

TERTIA SESSIO.

CLERUS in Ecclesia, Canonici in Palatio.

Episcopus in cappa: paratur cum mitra ad Missam.

Missa de Trinitate, Incensatur Clerus totus.

Sine Benedictione in fine Missæ: mutat colorem paramentorum, parantur Canonici: Antiph. *Exaudi*, et Psalm. ut in prima die.

Orationes. Evangel. Veni Creator.

Venerab. Sermo.

Promotor pro reliqua lectione Decretorum.

Secret. legit Decreta.

Promotor pro conclus. Synodi.

Secret. Decret. de eadem.

Promotor contra absentes, et pro rogitu.

Sermo Episcopi.

Portæ aperiuntur.

Processio cum Te Deum.

In reditu oratio *Nulla est*: distribuuntur Acclamationes.

Oratio mentalis.

Acclamationes. Osculum pacis.

Secret. legit Decretum de dimissione Synodi.

Benedictio Episcopi cum Indulgentiis.

Recedamus in pace.

Clerus comitatur Episcopum in cappa ad Palatium.

Index.


CAPUT	PAG.
I. De Indictione Synodi Diœcesanæ,	1
II. De Congregationibus ante Synodum,	1
III. De Ordine habendi prædictas congregationes,	2
IV. De præparandis pro actione Synodali,	3
V. De Hospitiis, et eorum Præfectis,	4
VI. De Apparatu Cathedralis Ecclesiæ,	4
VII. De Distributione Sessionum,	5
VIII. De Habitu Cleri,	6
IX. De Processionibus Synodalibus,	6
X. De Horis Canonicis, et Missis Synodalibus,	7
XI. De iis quæ cantandi sunt a Musicis,	8
XII. De Officialibus Synodi,	8
XIII. De Promotore,	8
XIV. De Secretario Synodi,	9
XV. De Notario Synodi,	10
XVI. De Judicibus Querelarum et Excusationum,	10
XVII. De Procuratore Cleri,	10
XVIII. De Œconomio et Cathedralico,	10
XIX. De Magistris Cæremoniarum,	11
XX. De Ostiariis Synodi,	12
XXI. De Examinatoribus,	12
XXII. De Judicibus Synodalibus,	13
XXIII. De Testibus Synodalibus,	13
Ordo Synodi Diœcesanæ unica Sessione celebrandæ	14
Ordo Synodi Diœcesanæ per tres dies distributæ,	45
SESSIO PRIMA,	45
SESSIO SECUNDA,	49
SESSIO TERTIA,	54
Ordo Synodi Diœcesanæ per duos dies distributæ,	57
VARIÆ FORMULÆ SYNODALES.	
Formula Edicti pro indicenda Synodo,	59
“ Prorogandi Synodum,	59
“ Indicendæ Synodi pridie Sessionis primæ,	59
“ Præmonitionum Cleri,	60
“ Jurisjurandi ab Examinatoribus præstandi,	35


FORMULÆ PRO PROMOTORE.

	PAG.
Instantia Promotoris pro Fidei professione,	27
“ pro Electione Judicum et Examinatorum,	33
“ pro Decretorum lectione,	32
“ pro continuanda lectione Décretorum,	60
“ pro vocatione Cleri et Cathedratico solvendo,	38
“ contra absentes,	38
“ pro rogitu Notarii	39
“ pro Conclusionem Synodi,	39
“ pro indictione futuræ Synodi	62

FORMULÆ PRO SECRETARIO SYNODI.

Decretum, De Synodo incepta,	25
“ De modo vivendi tempore Synodi,	60
“ De Ministris Synodalibus,	25
“ De Præjudicio non afferendo,	26
“ De non discedendo	26
“ De Professione Fidei facienda,	27
“ De Continuatione Sessionis,	61
“ De Discessu,	61
“ De Officio mortuorum,	62
“ De Sessione secunda,	62
“ De Judicibus Synodalibus,	36
“ De Examinatoribus,	34
“ De jurejurando,	35
“ De præstando juramento absentibus,	35
“ De Commissione Investigationis constituenda,	37
“ De Clero vocando, et Cathedratico solvendo,	38
“ De Conclusionem Synodi,	40
“ De Dimissione Synodi,	44
“ De futura Synodo	62
Capita Orationis Mentalis,	62
“ “ in fine primæ Sessionis,	62
“ “ “ secundæ Sessionis,	63
“ “ “ tertie Sessionis,	63
FORMULA ACCLAMATIONUM,	40
FORMULA INDICIS PRO SECRETARIO,	65





GAVANTO, Bartolomeo.
Fraxis Synodi Diocesanae
celebrandae.

BQV
200 /
.S9G3

